
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


VE RI TAS


ALPHONSE
PICARD & FILS
EDITEURS
RUE BONAPARTE
82
PARIS VI^E ARROND^T
LIBRAIRIE
ANCIENNE
D'OCCASION
COMMISSION
LIVRES NEUFS
FRANÇAIS
&
ETRANGERS

AULUS GELLIUS

QUATENUS PHILOSOPHIAE STUDUERIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Leo DEWAULE

COLLEGII ATREBATENSIS PRAESES

TOLOSAE

EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS

28, VIA DICTA DES SALENQUES, 28

MDCCCXCI

AULUS GELLIUS

QUATENUS PHILOSOPHIAE STUDUERIT

TOLOSAE. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

AULUS GELLIUS

QUATENUS PHILOSOPHIAE STUDUERIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Léon

Leo DEWAULE

COLLEGII ATREBATENSIS PRAESES

TOLOSAE

EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS

28, VIA DICTA DES SALENQUES, 28

MDCCCXCI



ORNATISSIMO VIRO

C. MARTHA

IN PARISIENSI LITTERARUM FACULTATE PROFESSORI

Gratae memoriae testimonium.

L. D.

PRAEFATIO

Cum jam alii de Aulo Gellio quatenus grammaticae, historiae jurisque scientiae fuerit studiosus disputaverint (1), operae quoque pretium mihi visum est quid de antiquis philosophis rebusque logicis, physicis moralibusque senserit disserere. Germanorum scriptorum auctoritate in primis fretus sum, qui *Noctes Atticas*, dum in nostra gente, saepius quidem consultae ac memoratae, nihil fere nisi in gallicum sermonem cum singularibus adnotationibus translatae fuerunt (2), majore ac subtiliore cura perpenderunt.

(1) Vide Th. Vogel, *A. Gellii de copia verborum.* Zwichau, 1862. — M. Hertz, *Vindiciae Gell.* Greifswald, 1858; *Vindiciae Gell. alterae,* 1873. — Tim. Fabre, *A Gellius de latinis scriptoribus et lingua latina quid judicaverit.* Andecavis, 1848. — Iwan von Gloeden, *A. Gellii quae ad jus pertinent.* Rostock, 1843. — Hertz, *Sub eodem titulo.* Breslau, 1868. — Fleckeisen, *Dichterfragmente bei Gell.* Leipzig, 1854. — Kretzschmer : *De auctoribus Gellii grammaticis.* Greifswald, 1860. — Mercklin, *Die Citiermethode...*, 1860. — Th. Vogel, *De A. Gellii vita...* Zittau, 1860. — Friedlaender, *De A. Gell. vitae temporibus.* Koenigsberg, 1869. — Ruske, *De A. Gellii noctium atticarum fontibus*, 1883. — Hertz, edd. 1877, 1883. *A. Gellii Noctes Atticae*, ed. Tauchn, Lipsiae, 1878, etc.

(2) Coll. Nisard et Panckoucke.

Qua mente libros suos composuerit quaque causa *Noctes Atticas* inscripserit Gellius ipse in Epilogo vel Prologo indicavit. Non id sibi proposuit ut cuncta pertractaret ac totas res explanaret, at contra quod-
Prol. 12. dam Heracliti *verbum cordi habens*, *summe nobilis viri*, pauca quae animos excitarent et *ad honestae eruditionis cupidinem utiliumque artium contemplationem celeri facilique compendio ducerent*, elegit. Satis illi fuit *primitias quasdam* et *quasi libamenta*
Prol. 13. *ingenuarum artium* expromere. Non philosophi magis quam grammatici vel jurisconsulti personam affectat nec semper vera et certa se edidisse profitetur, quippe cum errare potuisse se non neget, rogatque si quid reprehendendum videatur, ut bona fide lectores judicent et *rationes rerum auctoritatesque*
Prol. 18. *hominum pensitent* quos secutus est (1). Uniuscujusque demum meditationem, *non docendo magis*
Prol. 17. *quam admonendo*, excire voluit (2).

Eruditionis amore incitus, cum jam viginti commentariorum volumina vulgavisset, in animo habebat, *diis bene juvantibus*, librorum numerum augere ac, sicut postea Cartesius noster, quantum fuisset otium ad studia conferre decreverat : quod consilium mors intercepisse videtur (3). Notare juvat hoc hominis

(1) Cf. Montanum qui multis in locis Gellium imitatus est : « Les histoires que j'emprunte, je les renvoye sur la conscience de ceulx de qui je les prens » (*Essais*, l. I, c. XXI).

(2) *Id.* : « Me sentant trop mal instruict pour instruire aultruy » (*ibid.*, c. XXV).

(3) Consule Teuffel, *Hist. de la littér. rom.*, trad. fr., t. III, p. 43. — Friedlaender, *Diss. laud.*, p. 7. — *Id.*, *Mœurs romaines du règne d'Au-*

vere sapientis votum, quo epilogum concludit : « Neque longiora mihi dari spatia vivendi volo quam dum ero ad hanc quoque facultatem scribendi commentandique idoneus. » Prol. 24.

Quaecunque inter illas *memoriarum delectatiunculas* (1) ad philosophiam pertinere visa sunt excerpere et ad summas res reducere conatus sum : qui fuit hujus disputationis finis. Prol. 23.

Cujus erit hoc propositum et ordo : incipiam ab Auli Gellii magistris philosophisque vel vetustioribus vel recentioribus aequalibusque ipsius quorum e fontibus hauserit (2), minus ut eos numerem et temporum seriem sequar (3), citandique rationem aestimem (4), quod alii fecerunt, quam ut judicia quae de iis tulit referam et expendam; expositis deinde quae de anima animaeque viribus aut facultatibus, de naturalibus, logicis moralibusque quaestionibus opinari videatur, quam ad doctrinam inclinaverit et quali fuerit indole, si potuero, disserendo finiam.

guste à la fin des Antonins, trad. libre par Ch. Vogel, Reinwald, 1874, p. 146, qui renvoie à l'article de Baehr, dans la *Grande Encyclopédie* d'Ersch et Gruber.

(1) Sic legitur in recensionibus, M. Hertz, 1877 et 1883 ; alias *disceptatiunculas*, ed. Tauchnitz et Panckoucke.

(2) Vide Teuffel, Ruske, Friedlaender, *op. cit.*

(3) *Ibid.*

(4) Mercklin, *Die Citiermethode und Quellenbenutzung des A. Gellius.*

I. — De A. Gellii magistris.

1° *De Calvisio Tauro.*

Discendi cupidus A. Gellius plerosque eorum qui sua aetate in litteris philosophiaque claruerunt prosecutus est et audivit : cum iis ambulat navigatque, domos privatas regiasque aedes et bibliothecas adit; scholas frequentans, librariorum officinas, ubi saepius *litteratis* hominibus occurrit, perscrutans, omnia quae studiosam veri mentem delectare et ornare possunt coemens legensque, nullam interrogandi investigandique occasionem amittit : quae plane ab aliis disputata proposito meo indicare satis est (1). Eo porro fit ut cuivis magno sit usui percontanti quae fuerint eo tempore mores scholarum et regimen, quas res praecipue et qua ratione anquirerent docerentque philosophi.

Roma in Graeciam, divitum adolescentium more, quo facilius, ut ait Gellii commentator, summam manum disciplinae suae imponerent (2), *ad capien-*

(1) Vide Teuffel, Friedlaender, *op. cit. et alios.*

(2) Friedlaender, *Mœurs romaines*, p. 140.

dum ingenii cultum concesserat Gellius Athenisque Calvisium Taurum et Herodem Atticum philosophiae eloquentiaeque praeceptores habuit. Quo vero tempore Athenas venisse videatur explanaverunt et statuerunt qui vitam Gellii describere et in annos distribuere conati sunt, quorum ad testimonia referri conducit (1). Lib. I, c. II, 1.

Omnia fere quae de Tauro novimus a Gellio didicimus (2) qui Taurum *suum* dicit ejusque frequenter cum veneratione mentionem facit. Lib. I, c. IX, 8.

Qui Pythagoricae disciplinae, saepe nostro audiente, rationem exponere et laudare solebat, eaque laudatione adolescentulos istos vituperare « qui legem dant qua philosophari discant, » qui (3) a *Symposio Platonis incipere gestiunt propter Alcibiadae commissationem* aut *a Phaedro propter Lysiae orationem*, vel etiam Platonem legere, non *quo meliores modestioresque* fiant sed facundia *uberiores et lepidiores*. Haec memorando Gellius ostendit se et L. I, c. IX, 8, 9.

(1) Friedlaender, *Mœurs romaines*, p. 146. Cf. Vogel, *De Vita et scriptis*. — Friedlaender, *Dissertatio de A. Gellii vitae temporibus*. — Teuffel. *op. cit.*, p. 43-44.

(2) Cf. *Dict. des sc. philosoph.*, p. 1707. Ritter, *Hist. de la ph. anc.*, t. IV, p. 200 : « On nous parle d'un platonicien, appelé Calvisius Taurus, qui enseigna à Athènes, sous Antonin le Pieux (cf. Friedl., *Dissert.*, p. 5), et qui écrivit sur la différence entre les doctrines de Platon, d'Aristote et des stoïciens. Son disciple, Aulu-Gelle, nous en a raconté plusieurs particularités qui semblent prouver qu'il ne devait pas procéder sans jugement dans ses commentaires sur les ouvrages de Platon, mais qu'il y combattait, en sa qualité de platonicien, les doctrines péripatétique et stoïque. »

(3) Cf. Friedlaender, *Mœurs romaines*, p. 423.

Taurum in primis moralis rei studiosum fuisse nec apud philosophos, ut saepius eo tempore fieri solebat, captiunculas aut argutias tantummodo requisivisse.

Idem Taurus Gellio interroganti, ut post cotidianas
L. I, c. xxvi, 1. *lectiones* institutum erat (quod nescio quam ingenii et disciplinae facilitatem demonstrat), *an sapiens irasceretur* respondit non omnino ab ira sapientem
L. I, c. xxvi, 10. et iis affectibus *quos Graeci πάθη appellant* abstinere, sed eis mediocriter uti debere, *aliudque esse non iracundum animum aliud hebetem et stupentem* : sicque in medio constare virtutem asserere videbatur. Quod ad probandum, Plutarchi exemplum memoravit servum quemdam secum philosophantem aequo et tranquillo animo verberari jubentis : quippe cum *non sit utilis illa motus animi, qui, cum est causa ulciscendi saevior, ira dicitur, privatio*, quam Graeci
L. I, c. xxvi, 10. στέρησιν dicunt. Hanc Gellii de Plutarcho narratiunculam gallicus nostri aevi nobilis scriptor refellit, quae male cum animi lenitate et morum comitate scriptisque chaeroneensis philosophi de ira congruat (1). At Taurus ad poenam respectabat (2).

(1) Octave Gréard, *De la morale de Plutarque*, ch. II, § 121. — Montanus : « Je me suis jecté en ce discours à quartier à propos du bon gré que je sens à Aul. Gellius de nous avoir laissé par escript, ce conte de ses mœurs [de Plutarque] qui revient à mon subject de la cholere » (*Essais*, l. II, c. xxxi). Villemain : « Celui qui disait de lui-même qu'il n'aurait voulu pour rien au monde vendre un bœuf vieilli à son service pouvait-il plaisanter sur le supplice d'un esclave? » (*Etudes d'hist. anc. et étrang.*; *Notice sur Plutarque.*)

(2) « La philosophie veult qu'au chastiement des offenses receues nous en distrayons la cholere : non à fin que la vengeance en soit moindre, ains, au rebours, à fin qu'elle en soit d'autant mieulx asseuree et plus

Tres puniendi causas cum multis philosophis ille, *in primo commentariorum quos in Platonis Gorgiam* composuit, esse existimavit, cum contra Plato duas solum esse censeret. Quarum poenarum una *castigandi emendandique gratia* illius qui deliquit, altera *dignitatis auctoritatisque tuendae causa* ejus in quem delictum est; tertia *propter exemplum*, ne cui quis noceat, adhibetur. Haec misericordia simul ac justitia plena, nostraque aetate digna suo quasi nomine addit Gellius : « Si spes magna est ut is qui peccavit citra poenam ipse sese ultro corrigat, aut spes contra nulla est emendari eum posse et corrigi, aut jacturam dignitatis ejus in quem peccatum est metui non necessum est, aut non id peccatum est cujus exemplo necessario metu succurrendum sit : tum quidquid ita delictum est non sane dignum esse imponendae poenae studium visum est. »

L. VI, c. xv, 5.

L. VI, c. xv, 2-4.

L. VI, c. xv, 4.

Exempli gratia nonnunquam adhibendam esse poenam hoc modo alibi demonstrat Taurus qui *omni suasionum admonitionumque genere* ad bene vivendum sectatores exhortabatur suos, nec tantum virtutis scientiam sed actionem prosequebatur. Cum adolescentem *a rhetoribus ad philosophiae disciplinas* nuperrime *transgressum*, propter aliquid *inhoneste et improbe factum* vituperaret, et ille solita se fecisse diceret, alienisque exemplis purgari vellet, Demosthenis verbis usus, *quasi rhetorica cantilena*, digna-

L. X, c. xix, 4.

L. X, c. xix, 1.

L. X, c. xix, 2.

poysante, à quoy il luy semble que cette impetuosité porte empeschement » (Mont., l. III, c. x).

que quae memoriae traderetur, quibus ille negat ullum exemplo alterius excusari posse, at contra eo magis puniendum esse dicit, addidit : « Ut enim si quis eorum punitus esset, tu quidem hanc legem non L. X, c. xix, 3. ferres, sic, si tu punieris, nemo feret alius. »

Multa probant a Tauro nullam admonendi sectatores suos occasionem (1) amissam fuisse, illumque non argumenta tantum exprompsisse philosopho-L. XII, c. v, 3. rum, sed etiam re philosophum egisse. Cum Lebadiae aegrotantem stoicum adiisset, eumque fortiter cum morbo deluctantem vidisset, discipulis suis (2) hoc *non sane jucundum sed cognitu utile spectaculum* commendavit *quo morbus et ratio quod suum esset facerent congredientes compugnantesque*, et quamvis illi *cum stoicis non bene conveniret vel cum stoica* L. XII, c. v, 5. *potius disciplina*, de dolore, *stoicorum more*, disseruit (3). Quod testatur Tauri aequitatem et benevolentiam qui, quamvis sectae adversae pleraque praecepta repudiaret, sectatorum illius virtutes laudare non dubitabat.

Non minus Epicuri quam Stoicorum adversarius erat L. VII, c. x, 1. ille vir *in disciplina platonica celebratus* qui, quoties Epicuri mentionem audierat, Hieroclis stoici de pro-L. IX, c. v, 8. videntia et voluptate sententiam referre solebat. Hoc enim solenne erat philosophis hujus temporis ac

(1) Cf. Friedlaender, *l. l.*, p. 407.

(2) *Ibid.*, p. 394.

(3) Cf. Cicer., *Tusc.*, II, xxv, de Posidonio. Mont., *Essais*, l. II, c. xii; l. I, c. xl.

praecipue platonicis ut opponendo inter se diversas scholas everterent (1).

Taurus non modo veterum testimonis et historia nitebatur, sed ex minimis fortuitisque rebus praecepta hauriebat : interrogatione socratica aut jucunda narratione quam res suppeditabat praesertim auditores docebat : quod certe haec declarant. Discipulis suis quorum numerosa erat cohors (2), ut *ad philosophiam capessendam* hortaretur, historiam narrabat Euclidis qui, contra Atheniensium edictum, noctu Socratem Megara Athenas adibat, dum contra « nunc, inquiebat, videre est philosophos ultro currere ut doceant ad forès juvenum divitum eosque ibi sedere atque opperiri prope ad meridiem donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant (3). » Quibus verbis ille philosophiae dignitatis propugnator cum eos qui eo tempore philosophiae munus et nomen polluebant, tum adolescentium mores vituperabat. Hi enim a studiis argutias et inanes vocum sonos, illi quaestum ac mercedem expetebant (4). L. VII, c. x, 1 sq.

Cum olim aegrotaret Gellius, medicus, praesentibus Tauro et amicis, lapsu venam pro arteria usurpaverat. Quae imperitia cum risus omnium exciret, *leniter*, ut solebat, Taurus medicum reprehendit excusans quod vulgari more hoc verbo usus esset, hortatusque est ut *elegantiorem esse se in medendo quam* L. XVIII, c. x.

(1) Cf. Ritter, *Hist. de la philos. ancienne*, t. IV, p. 202-221.
(2) Cf. Friedlaender, *l. l.*, p. 394.
(3) Vide Friedlaender, p. 423.
(4) Cf. Friedl., p. 380 et seq., et Lucian., *Piscator*, *Fugitivi* et *passim*.

in dicendo ostenderet, et citissime validum et sanum Gellium redderet. Quae fuit causa cur hic medicinae, quantum posset, studeret, *hominibus liberis turpe esse* existimans *ne ea quidem cognovisse ad notitiam corporis nostri pertinentia*, *quae natura nobis tuendae valetudinis causa et in promptu esse et in propatulo voluerit.* Ut ergo nullam docendi Taurus, ita nullam discendi Gellius amittebat occasionem.

Taurus enim naturalibus quaestionibus quoque studebat. Nihil jucundius narratione illa qua in scenam puerum Tauri quemdam attice mentientem promit Aulus : quae fuit disputationis occasio cur congelascere soleret oleum nec unquam vinum (1). Ad hoc quod calidius sit vinum respondet philosophus et *oleum non minorem vim in corporibus calefactandis habere*, ceterum acetum quod frigidissimum est frigore nunquam concrescere; quod si ad levitatem spectes, fatendum esse *leviora facilius coire.* Alia est difficilis quaestio, scilicet cur *fluviorum et fontium aquae gelu durentur*, nec unquam mare, quamvis Herodotus Cimmerium solere dixisset (2); quam non

L. XVII, c. VIII.

(1) His contradicit Montanus : « Martin du Bellay recite au voyage de Luxembourg avoir veu les gelees si aspres que le vin de la munition se coupoit à coup de hache et de cougnee, se debitoit aux soldats par poids et qu'ils l'emportoient dans des paniers, et Ovide

Nudaque consistunt formam servantia testae
Vina nec hausta meri sed data frusta bibunt. »

(*Essais*, l. I, c. xxv.)

(2) Mont. « Les gelees sont si aspres en l'embouchure des Palus Moeotides qu'en la mesme place où le lieutenant de Mithridate avoit livré battaille aux ennemis à pied sec et les y avoit desfaicts, l'esté venu il y gaigna contre eulx encore une battaille navale » (*Essais*, l. I, c. xxv).

solvit Taurus, puero adventante cum oleo quod emptum iverat et sub judice linquit ipse Gellius.

Nec illum taedebat captiosarum quaestionum. Hunc enim instituerat morem ut amici, cum apud ipsum cenarent, quaedam praeparata argumenta, nec de seriis et *gravibus* sed *lepidis* et *minutis rebus conjectarent*, L. VII, c. XIII. cujus generis hoc refert Gellius : disputabatur quando *moriens moreretur*, utrum *cum jam in morte esset an tum etiam cum in vita foret* et alia hujuscemodi quorum alterutrum absurdum, absurdiusque *neutrum* vel *utrumque esset*. Nec ea digna Taurus censebat quae aspernarentur philosophi nec, sicut contendebat aliquis conviva, vana futiliaque, quippe cum gravissimi philosophorum *super hac re serio* quaesierint et Plato ipse, absurditatem utriusque responsi fugiens, medium ceperit et mortem τὴν ἐξαίφνης φύσιν appellaverit. Sic super cenam, *talibus symbolis*, apud Taurum philosophari solebant, familiaribusque sermonibus graves disputationes et lectiones (1) miscebantur. Inde perspici potest quo temporibus Gellii inclinaret philosophia et quantum ad nimium dialecticae studium et verborum disquisitionem esset propensa (2).

Non tantum cum discipulis sed etiam cum adventiciis auditoribus praecepta sua communicabat Taurus. Sic de patris filiorumque, qui in magistratibus essent, officiis quadam die disseruit qua *Cretae prae-*

(1) Cf. Friedl., *op. cit.*, p. 399.
(2) Cf. Friedl., *ibid.*

ses cum suo patre ad eum venerat. Patre sedere pri-
L. II, c. II. mum jusso, cum postea *aliud sedile filio ejus appositum fuit*, jura patrum *filiorum potestatibus qui in magistratu sunt* in publicis locis paululum cedere sed in domesticis rebus et privatis priorem partem patri concedi semper oportere contendit. Quam rem Gellius quodam exemplo romano e Quadrigarii libris excerpto confirmat. Censebat enim Taurus apud se privatum his honoribus uti posse proconsulis patrem quibus eum domi uti deceret.

L. XX, c. IV. Alias, ut a comoedorum consortio divitem adolescentem deterreret Taurus, verba ei misit quibus Aristoteles hanc vituperat sodalitatem, quamvis peripateticis non omnino assentiretur (1).

Non nostrum est inter ea omnia decernere quae loquentem Taurum audiverit vel e scriptis hauserit Gellius, quod alii jam explanaverunt (2). Proposito nostro satis erit exponere quae ipse judicaverit et senserit et qua auctoritate apud eum valuerint praeceptores. Ex iis quae retulimus videre est Taurum hoc cordi habuisse ut in disciplina sua demonstraret quatenus inter se consentirent ac dissentirent platonici, peripatetici et stoici, nec illam disciplinarum selectionem Gellio inutilem fuisse credimus. Illi quoque assentior qui dixit a Calvisio Tauro, utpote platonicae cohortis, quae sola eo tempore mathematicis studere solita videtur, pendere quae apud Gellium

(1) Vide supra.
(2) Cf. Ruske, *op. cit.*, p. 52, 53. — Mercklin, *op. cit*, *pass.*

ad eam studiorum partem pertinent (1), et asserit jucundissimam Tauri sermonumque ejus cum discipulis a Gellio depictam fuisse (2).

2° *De Herode Attico.*

Athenis quoque saepissime Herodem Atticum *virum et graeca facundia* et *consulari honore praeditum*, cum compluribus romanis qui eodem studio quo ipse flagrabant, *ab eo arcessitus* et fortasse per Favorinum ei commendatus (3), adibat. Die quadam post cenam eum audivit lepide gloriosum quemdam recitata Epicteti dissertatione reprehendentem ab Arriano servata, qua *venerandus ille senex* falsos stoicos incessebat. L. I, c. II.

Herodem illum Atticum ceteris *gravitate*, *copia et elegantia vocum* (4) praestitisse dicit, cujus dissertationem adversus stoicorum *apathiam* refert, qua aiebat *moderandos* et *purgandos* esse sensus animi nec evellendos nisi eos qui contra naturam viderentur, illius Thraci hominis exemplo usus, audiente Gellio, quod Fontanus noster est imitatus (5). L. XIX, c. XII.

Idem ille fertur cujusdam insolentiam hominis, philosophi speciem prae se ferentis, quod saepius eo tempore accidebat (6), severe vituperavisse, et tamen L. IX, c. II.

(1) Friedl., *op. cit.*, p. 398.
(2) *Id.*, *ibid.*, p. 407.
(3) Friedl., *Dissertatio*, p. 5.
(4) Ruske, *op. cit.*, p. 49.
(5) *Fables*, l. XII, 20. — Ruske, *ibid.*, p. 50.
(6) Cf. Lucian., *Piscator.*, 45; *Fugitivi*, 12. — Friedl., p. 385.

illi mendico et procaci *pretium panis triginta dierum* dare jussisse suos « tanquam homines non tanquam homini. » At adjicit se non ridere, sicut solebat Musonius (1), sed indignari, cum videret *talia animalia sanctissimum philosophi nomen* usurpare ac recte a veteribus Atheniensibus provisum fuisse ne quis unquam servus Harmodii Aristogitonisque nominibus appellaretur : quod imitati sunt veteres Romani qui vetarent *praenomina patriciorum quorumdam male de re publica meritorum* ab ullo posthac accipi posse. Quae quidem tam benigne erga hominem jussit Herodes cum illis conferri possunt quae respondit Aristoteles culpatus quod improbo aliquid dedisset, et ad verbum vertit Seneca : « Non homini damus, sed humanitati (2). »

Non dubitandum est quin ex talibus sermonibus sapientiae dignitatisque humanae studium Gellius exhauserit, conjicique potest eum *Noctibus Atticis* similia Herodis excerpta esse imitatum (3).

3° *De Cornelio Frontone.*

Minus forsan (4) Cornelio Frontoni, ejus aevi rhetori, Marcique Aurelii magistro, debuit : laudibus ta-

(1) Ruske, p. 50.

(2) Montan., *Essais*, l. III, c. XII. « On reprochoit (dict on) à Aristote d'avoir esté trop misericordieux envers un meschant homme : « J'ay esté, de vray (dict il) misericordieux envers l'homme, non envers la meschanceté. »

(3) Cf. Friedl., *op. cit.*, p. 146.

(4) His contradicit Teuffel, t. III, p. 21.

men eum prosequitur quem, *ut sermonibus purissimis bonarumque rerum plenis* frueretur, adolescentulus Romae saepe adibat, non magnas tantum res et ad bene vivendum perutiles sed etiam leviores facunde dictas cognoscendi avidus. Sic Gellius in studium cum philosophiae tum utriusque linguae incumbebat. L. XIX, c. VIII.

Etsi constat Frontonem omni ope atque opera enixum fuisse ut a philosophia ad rhetoricam deterreret Aurelium, videturque philosophos argutiis tantummodo captos, nequaquam venuste dicendi peritos rhetoribusque omni modo inferiores existimavisse, Gellius tamen se, quoties eum audiisset, *cultiorem doctioremque* rediisse contendit : quod sane ad elocutionem pertinet. L. XIX, c. VIII Conjiciunt enim quidam eum a Frontone vetustorum verborum amorem accepisse, quibus fere aequalis ejus Apuleius quoque usus est (1), sicut et Senecae odium (2), quem Fronto tam philosophum quam scriptorem abhorrebat.

Videre licet ejus dissertationem de colorum nominibus cum Favorino habitam qui *scientiam rerum uberem, verborumque ejus elegantiam exosculatus est,* L. II, c. XXVI. aliam de usu verbi *mortalibus* pro *hominibus*, quam Gellii et comites *admirantes* audierunt, itemque L. XII, c. XXVIII. alias quas refert quamvis de parvis rebus et vocabulis, ne forte fugiat lateatque *verborum consideratio* : L. XII, c. XXVIII. ea sane multis Noctium locis apparet, sed ad hanc disputationem non attinet.

(1) Cf. Teuffel, *op. cit.*, t. I, p. 75, et t. III, p. 25.
(2) Cf. Teuffel, *ibid.*, p. 24.

4° *De Favorino.*

Elocutionem quoque non minus quam philosophiam attigit Favorinus qui Valerii Probi (1) et Epicteti (2) auditor fuisse dicitur. Ille enim, cum juvenes hortaretur ut priscos mores imitarentur, *a vocibus nimis priscis et ignotissimis* quas, ut fieri (3) solet inclinatis jam litteris et moribus, affectabant nonnulli, eos arcebat praesentiaque verba commendabat, vanam eruditionis speciem vituperans, suadebatque ut tacerent qui hoc consequi vellent ut a nullo homine intelligerentur; solebatque referre illud Caesaris de ea re dictum : « Habe semper in memoria atque in pectore ut, tanquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum. » « Vive, aiebat Favorinus, moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus. »

L. I, c. x.

Favorini disputationem de ventis eorumque nominibus *apud mensam* secundum ejus morem habitam refert Gellius; aliam de coloribus et varietate eorum, in qua, cum contenderet ditiorem latina lingua graecam esse, a Frontone refellitur. Quod declarat quatenus proprietati verborum studerent ejus temporis philosophi.

L. II, c. xxII. L. II, c. xxvi.

(1) Cf. Teuffel, t. II, p. 218. Ruske, p. 53.

(2) Ruske, p. 60.

(3) Cf. Martha : « Une autre fantaisie, qui vient d'ordinaire aux littératures un peu épuisées, est de s'éprendre de ce qui est archaïque et de se plaire aux plus vieux et plus barbares souvenirs de l'histoire nationale... La langue latine, comme le goût, avait fort à souffrir de ce retour à l'antiquité la plus reculée et la plus inculte... » (*Les moralistes sous l'empire romain*, p. 148, 150).

Origines dubias et etymologias altioribus fontibus manantes aspernatur Favorinus, inter quas ridiculose fictam eam dicit qua, auctore Gavio Basso (1), *parcus* quasi *par arcae* significet existimatque contra *parcum* dictum fuisse a verbis *parum* et *parvum*. Nonne in eis jam animadvertenda est illa propensio qua exquisitiores et implicatae interpretationes rejiciuntur, quae nostrae aetatis peculiaris est? L. III, c. XIX.

Alias, propter disputationem de significatione quam exprimunt vocabula *manubiae* et praeda, citatur Favorinus, *egregia* vel *divina quadam memoria* (2), qui profitetur se « etiamsi opera sibi princeps et prope omnis in litteris disciplinisque graecis sumpta est » non esse *infrequentem vocum latinarum* quas *subcisivo* aut *tumultuario studio* colit. Item citatur ille in indice amissi libri octavi, primo de quorumdam verborum usu, iterum de disputatione ad ambiguitatem pertinente, quam cum intempestivo quodam philosopho habuit. L. XIII, c. XXIV.

Oderat enim Favorinus et arcebat arrogantes disciplinae ostentatores qui, *tanquam interpretes et arbitri Sibyllae*, nugalia effutiunt nec ullam amittebat occasionem Socratico more eos interrogandi et ad veriorem doctrinam reducendi. Quod apparet ex eo sermone quem habuisse eum narrat Gellius cum grammatico quodam cujus ignorantiam patefecit sensus vocabuli *penus*, quod tamen ille *varie declinatum* L. IV, c. I, 2.

(1) De Gavio Basso; vide Teuffel, t. I, p. 385.
(2) Ruske, p. 54.

aiebat fuisse. Censebat enim philosophi esse verborum significationem discere « quoniam civibus romanis latine loquentibus rem non suo vocabulo demonstrare non minus turpe esset quam hominem non suo nomine appellare. » Hinc etiam videre facile est qua via et ratione Favorinus a *parvis et frigidis rebus* homines adduceret ad utiliores quas *non extrinsecus*
L. IV, c. 1, 19. *nec per ostentationem* afferebat. Ea tamen sunt « minus vere philosophi quam litteratoris philosophiae amatoris (1) » sed declarant « quam vario et multiplici ingenio fuerit (2) » Favorinus.

Ad verborum usum, quamvis altiorem sensum habeant, haec quoque pertinent : cum dicat Sallustius avaritia corpus animumque virilem effeminari, interrogaverat Favorinus quomodo earum rerum prior fieri posset : rejecta opinione contendentis cujusdam sic animum et corpus pro homine usurpari, meliorem alius e sectatoribus credit sententiam qua avarus prae thesauri studio omnes corporis labores et curam negligat : quam opinionem probat Favorinus, nisi suspicandum sit Sallustium *odio avaritiae plus quam*
L. III, c. 1. *potuit eam criminatum esse*, illam observans graecorum elegantiam et mediocritatem quam ne verbo quidem fugere solebat.

Moderationem (3) enim Graecus ille vel in sermo-
L. I, c. xv, 17. nibus observandam credebat eumque *prodigae infre-*

(1) Cf. Brochard, *Les sceptiques grecs*, p. 328.

(2) Cf. Ruske, p. 53.

(3) Brochard, *Les sceptiques grecs* : « La doctrine de la nouvelle académie est un juste milieu » (p. 388).

nisque linguae taedebat ac versus Euripidis ad eos qui *impia aut illicita* dicerent pertinentes non minus de hominibus *stulta et immodica blaterantibus* accipiendos esse contendebat.

In una re tamen hunc modum non probabat, scilicet in laudatione. Aiebat enim *turpius esse exigue atque frigide laudari quam insectanter et graviter vituperari*, quoniam quanto quis acerbius maledicit tanto magis pro iniquo et inimico ducitur ac *plerumque propterea fidem non capit*, at contra qui mediocriter laudat « amicus quidem esse creditur ejus quem laudare vult, sed nihil posse reperire quod jure laudet. » L.XIX, c. III, 1, 2.

Genus idem scribendi medium et temperatum apud scriptores requirebat, quippe cum in Pindari Vergiliique comparatione, quae ad utriusque Ætnae montis picturam spectat, priorem posteriori anteponat, ideo quod Vergilius nimis jam opima Pindari *tumidiora* etiam effecerit. L. XVII, c. X.

Ex illis apparet Favorinum tam rhetoris et sophistae quam philosophi partes sumpsisse, cum de omni re diserte disserere affectaret (1).

Haec sane sunt sophistae : non aspernabatur *infames materias* et eas existimabat *idoneas vel expergificando ingenio, vel exercendis argutiis vel edomandis* L. XVII, c. XII.

(1) « Le sophiste Favorinus... qui parlait disertement sur tous les sujets, qui fit en plaisantant l'éloge de la fièvre quarte, mais qui ne portait pas seulement de l'esprit, qui avait quelquefois de la raison dans les thèses paradoxales qu'il soutenait » (Sainte-Beuve, *Prem. lundis.*, t. III, p. 74. — Brochard, *Les sceptiques grecs*, p. 329).

usu difficultatibus : sic Thersiten et quartanam febrim laudavit, id quidem lepide : easque laudes in libris reliquit ac pro febri auctorem habuit Platonem cujus exemplo, Academicorum more, uti profitebatur.

Inter nobilissimos Graecorum scriptores annume-
L. X, c. XII, 9. ratur Favorinus, *memoriarum veterum exsequentissimus*, a Gellio, qui eum *Romae plurimum sectari* se
L. XVI, c. III, 1. dicit, hisque laudibus eum prosequitur : « Cum Favorino dies plerumque totos eramus : tenebatque animos nostros homo ille fandi dulcissimus; atque eum quoquo iret quasi ex lingua prorsum ejus capti prosequebamur : ita sermonibus usquequaque amoenissimis demulcebat. »

Sic eum in scenam profert apud aegrum quemdam cum medicis de esurie et ciborum fastidio oratione
L. XVI, c. III. graeca *affabilissime* loquentem, alias pulchrum Favorini responsum refert et hortationem de pueris a matre ipsa enutriendis. Hic et in multis locis eam philosophorum suae aetatis consuetudinem perspicuam facit Gellius qua illi non solum discipulis suis consilia tribuebant sed etiam domos introibant et rebus domesticis, quasi familiares, immiscebantur (1).

Eam libet hortationem summatim exponere cum multis partibus Russaei nostri (2) disputationi de re eadem sit similis. « Sine eam totam, inquit, inte-
L. XI, c. I, 5. gram esse matrem filii sui (3). » Inde argumenta con-

(1) Cf. Friedlaender, *op. cit.*, p. 411. — J. Denis, *Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité*, t. II, p. 67, 68, 146.

(2) J.-J. Rousseau, *Emile.*

(3) Denis, *op. cit.*, t. II, p. 132.

gerit quorum alia ad voluptatem et laetitiam, alia ad leges naturae pertinent. Comparat etiam eam alendi negligentiam cum abortivis artificiis quae *publica detestatione communique odio* judicantur; refellit ea quae contra dicuntur nihil interesse, dum puer alatur, *cujus lacte id fiat*, et ut demonstret *quo valeant lactis proprietates*, de animalibus et arboribus etiam argumenta capit quae, nisi proprio suo nutrimento alantur, brevi dispereunt. Ad haec addit nutrices mercenarias flagitiis et vitiis plerumque infici ac sine discrimine quamque, dum *lactans* sit, accipi : asserit deinde nihil in pueris formandis majorem partem tenere quam *lactis naturam* et *altricis ingenium* : postremo hoc argumento utitur, quod sensum et animi motum excire posset, deserto ita ablegatoque partu, *vinculum illud coagulumque animi atque amoris quo parentes cum filiis natura consociat* interscindi aut certe quidem dilui deterique (1). Numquid dulcius fortiusque his exprimi potest : « Ubi infantis aliorsum dati facta ex oculis amolitio est, vigor ille maternae flagrantiae sensim atque paulatim restinguitur, omnisque impatientissimae sollicitudinis strepitus consilescit. Neque multo minor commendati ad nutricem aliam filii, quam morte amissi, oblivio est. » Illud ad matrem, hoc ad infantem spectat : « Matris, quae genuit, neque sensum ullum neque desiderium

L. XI, c. 1, 7.
L. XI, c. 1, 10.
L. XI, c. 1, 14.
L. XI, c. 1, 18.
L. XI, c. 1, 20.
L. XI, c. 1, 21.
L. XI, c. 1, 22.

(1) Cf. Mont., de altricibus : « Veoid on en la plus part d'entre elles, s'engendrer bientost, par accoustumance, une affection bastarde plus vehemente que la naturelle et plus grande sollicitude de la conservation des enfans empruntez que des leurs propres. »

capit. Ac propterea, quidquid ita educati liberi amare patrem et matrem videntur, magnam fere partem non
L. XI, c. 1, 23. naturalis ille amor est, sed civilis et opinabilis (1). »

Illa graeco sermone dicta, quantum meminisse potuerit, quod ad sensum attinet, justa cum miratione retulit Gellius, modesteque addidit : « amoenitates vero et copias ubertatesque verborum latina omnis facundia vix quidem indipisci potuerit, mea tenuitas
L. XI, c. 1, 24. nequaquam. »

Eadem monebat Favorini fere aequalis Plutarchus (2), quae recentiores philosophi (3) vel medici praeceperunt.

Ut materna illius temporis negligentia, ab antiquis Romae moribus dissimillima (4), quos plerique philosophi revocare gestiebant, causa fuit, quod verisimile est, hujus Favorini orationis, sic aliam vituperat
L. XIV, c. 1, 2. consuetudinem. *Ex auditione propere annotata* refert argumenta Gellius quibus *adversum Chaldaeos seu Genethliacos* Favorinus invectus est. Nescit quidem utrum *serio judicatoque existimaret an exercendi in-*
L. XIV, c. 1, 2. *genii gratia loqueretur :* attamen per ostentationem eum dixisse negat.

(1) Cf. Emm. Kant : « La nourriture que la nature destine à l'enfant est le lait de sa mère. C'est, du reste, un préjugé de croire que l'enfant en suce les sentiments avec le lait, ainsi qu'on l'entend dire souvent. Mais il est très avantageux pour la mère et l'enfant qu'elle soit aussi la nourrice » (*Principes métaphysiques de la morale*, tr. Tissot, p. 356).

(2) Vide O. Gréard, *Morale de Plutarque*, ch. II, § 1, p. 104.

(3) Cf. Compayré, *Hist. critique des doctrines de l'éducation en France*, t. II, p. 55, 56, 108.

(4) Cf. Denis, *op cit.*, t. II, p. 132.

Plana est et stricta ejus disputatio cujus multa argumenta saepius repetita omittimus : satis sit ea notare quibus Favorinus contendit, si astrologorum doctrina acciperetur, factum iri ut homines non liberi forent sed animalia quaedam sortis stellarumque ducentium ludibria. In hoc ille cum Academicis consentire videtur qui, ut verisimilis est conjectura (1), liberi arbitrii quaestionem excusserunt, cum placita stoicorum de necessitate refellerent. Addebatque minoris aestimandos esse homines pro naturae magnificentia quam ut de eis astra curarent (2) : ceterum cursum illum *temporis transvolantis* qui *vix cogitatione animi comprehendi potest nullo pacto perspici posse*. *Condonare* astrologis se quasi per cavillationem dicebat, quod non ab iis requireret cur illam astrorum vim non paterentur *minutissima terra marique animantia*.

L. XIV, c. I, 23.

L. XIV, c. I, 24.

L. XIV, c. I, 31.

Favorinus, « ut hominis ingenium fuit utque graecae facundiae copia simul et venustas, » ea quae *sicca* et *jejuna oratione* Gellius se ait attigisse, « latius et amoenius et splendidius et profluentius exsequebatur » et saepissime auditores suos *a genethliacis* deterrebat.

L. XIV, c. I, 32.

L. XIV, c. I, 36.

Sic ab aequalibus suis dissidet Favorinus, qui

(1) Vide Brochard, *op. cit.*, p. 391.

(2) Mont. « Le monde se laisse si ayseement piper, estimant que nos interests alterent le ciel et que son infinité se formalise de nos minces actions » : « Non tanta coelo societas nobiscum est, ut nostro fato mortalis sit ille quoque siderum fulgor. » (Plin., *Hist. natur.*, l. II, c. VIII ; *Essais*, l. II, c. XIII).

plerumque astrologiae credebant (1) : ea sane etiam apud antiquos plurimi habebatur, quod vel e Senecae Tacitique scriptis apparet (2). Nigidius Figulus quoque, ut infra videbimus, et Apuleius, qui Gellii temporibus vixit (3), huic studio se dedisse feruntur.

His praecipue argumentis, quae apud quemque
L. XIV, c. I, 36. plurimum valere credebat, utebatur : « aut adversa, inquiebat, eventura dicunt aut prospera. Si dicunt prospera et fallunt, miser fies frustra exspectando. Si adversa dicunt et mentiuntur, miser fies frustra timendo. Sin vera respondent eaque sunt non prospera, jam inde ex animo miser fies antequam a fato fias. Si felicia promittunt eaque eventura sunt, tum plane duo erunt incommoda : et exspectatio te spei suspensum fatigabit et futurum gaudii fructum spes tibi jam praeflorabit. Nullo igitur pacto utendum est istius modi hominibus res futuras praesagientibus (4). »

Favorinus ergo non immerito dicitur de quibuslibet rebus diu et facile disserere potuisse (5). Quod

(1) Cf. Teuffel, *op. cit.*, t. I, p. 94.

(2) Senec., *Quaest. nat.*, I, 32. — Tac., *Annal.*, VI, 22; cf. Condillac, *Hist. anc.*, t. X, p. 41.

(3) Teuffel, t. III, p. 45.

(4) Cf. Condillac : « Il y a du danger à faire tirer son horoscope, quand on croit à l'astrologie. J'ajoute qu'il y a même de l'imprudence quand on n'y croit pas. Si on me prédit des choses désagréables qui aient quelque liaison avec les différentes circonstances où me fait naturellement passer le genre de vie que j'ai embrassé, chacune de ces circonstances me le rappellera malgré moi. Ces images tristes me troubleront plus ou moins à proportion de la vivacité avec laquelle elles se retraceront... » (*Traité des systèmes*, p. 70 et suiv.)

(5) Cf. Brochard, *op. cit.*, p. 329.

ad eam partem philosophiae attinet quae est de vita et moribus haec memoranda videntur. Amicos jubebat eadem facere quae praescripserat in seditionibus lex Solonis (1) et in alterutram partem discedere quo facilius auctoritate sua concordiam repararent nec eos imitari qui, cum amicos destituant discordes, *eos dedunt advocatis malevolis aut avaris.* Ad id unum spectantes Gellius et Favorinus quomodo inter se amici agere debeant non dubitaverunt num ea lex unquam in usu fuerit (2) nec quem ad finem lata sit exquirere conati sunt (3). L. II, c. XII, 6.

Alias Favorini sententiam, stoico philosopho vere dignam, de divitiis et aequanimitate, graece expressam refert Gellius, qua ille non augendam esse pecuniam, si quis beate vivere cuperet, sed minuendas cupiditates asserebat. Quae Seneca quoque in epistolis suasit : de qua re tamen Gellius Senecae infensus ne verbum quidem facit. L. XVII, c. I.

Minime mirum illud Favorini praeceptum, qui saepissime Epicteti, cujus fuerat auditor, verba plerosque philosophos dicentis verbis tenus tantum philosophari, ejusdemque de teterrimis gravissimisque vitiis, *intolerantia et incontinentia*, sententiam memorabat. L. XVII, c. XIX.

Nullius in verba, quod naturam ejus et placita decebat, assueverat jurare, sed in amicitiis conjungendis communi liberalitate utebatur, quippe cum eum *duo-*

(1) Cf. Ad. Garnier, *Morale dans l'antiquité*, p. 38.
(2) Vide Zeller, *La philosophie des Grecs*, trad. fr., t. III, p. 207.
(3) Cf. Denis, *op. cit.*, t. I, p. 60.

L. XVIII, c. I. *bus non incelebribus in Urbe Roma* philosophis, quorum unus erat *peripateticae disciplinae sectator*, *alter stoicae*, familiariter utentem videamus (1). Eorum tamen disputationi de virtute cum interesset, in stoicum potius inclinare videtur : « Virtus, ait, non accessio neque supplementum sed sola ipsa vitae beatae instar est : et propterea beatam vitam ipsa
L. XVIII, c. I, 14. sola una, cum adest, facit. » Quod nobis non mirum videbitur, si reputemus Carneadem academicum Stoicorum disciplinam, non virtutem insectatum esse (2).

Non minus ad ethicam quam ad dialecticam spectant ea quibus Favorinus Biantis argumentum utrinque feriens refellebat, dicens inter *pulcherrimam et deformissimam* feminae formam interesse mediam quamdam quam *uxoriam* ipse, Ennius *statam* appellabat, qua quae praeditae sunt, incolumi pudicitia
L. V, c. XI. esse contendebat (3).

Plurima etiam in rebus gerendis auctoritate apud Gellium valebat qui, eo duce, si de re difficili ambigeret, utebatur. Sic cum quadam die, propter ancipitem contentionem in qua haerebat, de judicis offi-
L. II, c. XIV, 12. ciis interrogavit. *Specie tenui parvaque* res Favorino videbatur nec ejus causa omnia judicis officia percurrenda censebat; at quibusdam propositis quaestionibus et controversiis, Academicorum more, posterius rem tractandam reliquit et, quod ad difficultatem

(1) Cf. Friedlaender, *op. cit.*, p. 395.
(2) Cf. Brochard, *op. cit.*, p. 162.
(3) Infitiatur haec verba esse Biantis Ad. Garnier, *Morale dans l'antiquité*, p. 31.

propositam attineret, suasit ut *M. Catonis*, prudentissimi viri, consilio uteretur, qui, in simili actione, probo litigatori credendum esse, improbum damnandum arbitrabatur. L. II, c. XIV, 21.

Aliae sunt Favorini laudes. Sext. Caecilius (1) eum in disputatione de decemviralibus legibus *virum sapientiae studiosissimum* appellat, dum Favorinus se L. XX, c. I, 8. « solitum esse pro disciplina sectae quam colit inquirere potius quam decernere » fatetur. L. XX, c. I, 19. Sincerus justitiae amor et studium cum multis lepide dictis in Favorini sermone apparet : adde etiam aliquid blandi quod tamen justitiae non repugnat. Hoc in primis in decemviralibus legibus vitiosum ei videtur quod poenae non sunt delictis accommodatae quas populus Romanus ipse, quasi inhumanas improbans, *situ et senio emori passus est*. L. XX, c. I, 10. Legem scilicet de injuria punienda culpat. Decorum certe et pudorem Arelatensis ille Gallus pluris aestimat quam ut satis habeat quinque et viginti assium pro injuria mulctationem. L. XX, c. I, 12.

A Favorino reprehenditur alia lex quae de ruptis membris ac talione agit. Illius contra talionem stricta et mirabilis est argumentatio : prima difficultas est an effici possit *rumpendi pariter membri aequilibrium?* An imprudenter factum *retaliari per imprudentiam* debeat? L. XX, c. I, 15. Quod *si quis prudens ruperit*, quomodo *libra et mensura* reperietur qua nec *latius* nec *altius* laedatur? L. XX, c. I, 16. L. XX, c. I, 17. Quod si fiet, *contraria mutuae talio-*

(1) Cf. Teuffel, t. III, p. 32. — Ruske, p. 66.

nis actio orietur et *infinita quaedam talionum reciprocatio* (1).

Immanis quoque ei videtur illa lex qua creditoribus debitorum membra diverse distrahere liceret et Sexto Caecilio assentimur qui, cum pro exemplo poenam habeat, Favorinum tamen his verbis laudat :
L. XX, c. I, 20. « Tu es, inquit, unus profecto in nostra memoria non graecae modo sed romanae rei peritissimus. Quis enim philosophorum disciplinae suae leges tam scite atque docte callet quam leges tu nostras decemvirales percalluisti ? » Attamen ab eo petit ut *degrediatur*
L. XX, c. I, 21. *paulisper e curriculis istis disputationum academicis*, et omittat *studium quidquid libitum est arguendi tuendique*, academicorum proprium, *consideretque gravius cuimodi sint* ea quae reprehendit.

Lenitatem Favorini (2) perspicuam facit Gellius nec ullam ejus notandae occasionem amittit. Sic cum acriter ei respondisset Domitius, *homo doctus cele-*
L. XVIII, c. VII, 1. *berque in urbe Roma grammaticus, cui cognomentum Insano factum est*, propter *intractabiliorem et morosiorem naturam, suis tantum dixit intemperiem istam*

(1) Kantius contra ait : « La mesure naturelle et légitime de la peine, c'est la mesure de la culpabilité, c'est-à-dire le talion. C'est le principe de la rétorsion ou de la réciprocité... Toute autre mesure est variable ou arbitraire... Le talion n'est pas toujours possible identiquement, mais il l'est toujours par analogie... Mais le cas où l'égalité est le plus facile à atteindre et où le talion est d'une justice frappante, c'est le meurtre. La mort seule peut l'expier. Mais la peine capitale doit être dégagée de tous les accessoires barbares qui sentent la vengeance et déshonorent l'humanité dans le condamné lui-même, qui reste homme quoique criminel » (*Princ. métap. du droit*, tr. Tissot, Introd., p. LXXI).

(2) De illa caritate cf. J. Denis, t. II, p. 171-175.

non parvis nec abjectis ingeniis accidere, *sed nescio quid heroicum habere*, adjecitque facete illa, si ab Antisthene aut Diogene dicta essent, memoria digna visa esse.

His prorsus omnibus videre licet qua via in philosophia processerit Favorinus quasque disciplinas vicissim amplexus sit. Epicteti primum discipulus (1), cujus admiratione flagrabat, quemque, quamvis ad Academicos vel pyrrhonios a Stoicis deverterit, laudibus prosequitur, postremo Carneadis Ænesidemique placita secutus est (2) : unde fit ut utrius sit sectae inter philosophos ambigatur et concludi possit eum, perpensis libris ejus et agendi disserendique ratione, ab utraque disciplana praecepta sua sumpsisse nec utrivis quidquam de suo adjecisse. Illis alioquin assentior qui hanc rem parvi momenti aestimaverunt, cum temporibus Favorini pyrrhonii et academici multa similia vel etiam communia haberent (3). Quod si vis decernere quae eum loquentem audiverit quaeque ex ejus libris excerpserit Gellius ad opera (4) supra laudata te revocare oportet. Unum utcumque affirmari potest, Gellio plurimum profuisse Favorini familiaritatem, cujus mores et studia varia pro virili parte imitatus est.

(1) Cf. Ruske, p. 60.
(2) Cf. Brochard, *op. cit.*, p. 261.
(3) *Ibid.*, p. 328-330.
(4) Cf. Ruske, 53, 61. — Mercklin, 675 et seq.

nis actio orietur et *infinita quaedam talionum reciprocatio* (1).

Immanis quoque ei videtur illa lex qua creditoribus debitorum membra diverse distrahere liceret et Sexto Caecilio assentimur qui, cum pro exemplo poenam habeat, Favorinum tamen his verbis laudat :
L. XX, c. I, 20. « Tu es, inquit, unus profecto in nostra memoria non graecae modo sed romanae rei peritissimus. Quis enim philosophorum disciplinae suae leges tam scite atque docte callet quam leges tu nostras decemvirales percalluisti ? » Attamen ab eo petit ut *degrediatur*
L. XX, c. I, 21. *paulisper e curriculis istis disputationum academicis*, et omittat *studium quidquid libitum est arguendi tuendique*, academicorum proprium, *consideretque gravius cuimodi sint* ea quae reprehendit.

Lenitatem Favorini (2) perspicuam facit Gellius nec ullam ejus notandae occasionem amittit. Sic cum acriter ei respondisset Domitius, *homo doctus cele-*
L. XVIII, c. VII, 1. *berque in urbe Roma grammaticus, cui cognomentum Insano factum est*, propter *intractabiliorem et morosiorem naturam, suis tantum dixit intemperiem istam*

(1) Kantius contra ait : « La mesure naturelle et légitime de la peine, c'est la mesure de la culpabilité, c'est-à-dire le talion. C'est le principe de la rétorsion ou de la réciprocité... Toute autre mesure est variable ou arbitraire... Le talion n'est pas toujours possible identiquement, mais il l'est toujours par analogie... Mais le cas où l'égalité est le plus facile à atteindre et où le talion est d'une justice frappante, c'est le meurtre. La mort seule peut l'expier. Mais la peine capitale doit être dégagée de tous les accessoires barbares qui sentent la vengeance et déshonorent l'humanité dans le condamné lui-même, qui reste homme quoique criminel » (*Princ. métap. du droit*, tr. Tissot, Introd., p. LXXI).

(2) De illa caritate cf. J. Denis, t. II, p. 171-175.

non parvis nec abjectis ingeniis accidere, *sed nescio quid heroicum habere*, adjecitque facete illa, si ab Antisthene aut Diogene dicta essent, memoria digna visa esse.

His prorsus omnibus videre licet qua via in philosophia processerit Favorinus quasque disciplinas vicissim amplexus sit. Epicteti primum discipulus (1), cujus admiratione flagrabat, quemque, quamvis ad Academicos vel pyrrhonios a Stoicis deverterit, laudibus prosequitur, postremo Carneadis Ænesidemique placita secutus est (2) : unde fit ut utrius sit sectae inter philosophos ambigatur et concludi possit eum, perpensis libris ejus et agendi disserendique ratione, ab utraque disciplana praecepta sua sumpsisse nec utrivis quidquam de suo adjecisse. Illis alioquin assentior qui hanc rem parvi momenti aestimaverunt, cum temporibus Favorini pyrrhonii et academici multa similia vel etiam communia haberent (3). Quod si vis decernere quae eum loquentem audiverit quaeque ex ejus libris excerpserit Gellius ad opera (4) supra laudata te revocare oportet. Unum utcumque affirmari potest, Gellio plurimum profuisse Favorini familiaritatem, cujus mores et studia varia pro virili parte imitatus est.

(1) Cf. Ruske, p. 60.
(2) Cf. Brochard, *op. cit.*, p. 261.
(3) *Ibid.*, p. 328-330.
(4) Cf. Ruske, 53, 61. — Mercklin, 675 et seq.

5° *De Peregrino.*

L. XII, c. XI, 1. A Peregrino, *viro gravi atque constanti*, *multa hercle* de vita bene agenda *utiliter et honeste* dicta Athenis saepius audivisse se ait Gellius (1). Hoc in primis refert : « Virum sapientem non peccaturum etiamsi peccasse eum dii atque homines ignoraturi forent, » quod eum Carneadis et Kantii pracceptis congruit. Censebat enim ille *justi honestique studio*
L. XII, c. XI, 3. et *officio* recte faciendum, non *poenae infamiaeque metu*, adjiciebatque ad peccandum proclives esse eos qui tantummodo metuebant nenon culpa lateret, nec pro certo habebant omnia Tempore detegi.

Hic Peregrinus, cujus tam honesta fit mentio, propter philosophiae vitaeque mutationes, quas le-
L. XII, c. XI, 1. pide memoravit Lucianus (2), *Proteus*, ut ait ipse Gellius, appellatus est : illam tamen admirabilem esse sententiam fateri necesse est, dignamque christiana disciplina cujus aliquantisper fuerat ille sectator.

In titulis etiam octavi libri dicitur ab eodem reprehensum fuisse romanum adolescentem, equestri familia ortum, quod segniter et *assidue oscitans* audiret. Quae forsitan vituperatio superbiam solam Peregrini, quam finis etiam vitae satis probavit (3),

(1) Cf. Ruske, p. 49. — Friedlaender, p. 146.

(2) Lucian., *De morte Peregrini*; *Fugit.*, 1, 2; *Demon.*, 21; *Indoct.*, 14.

(3) Cf. Lucian., *ibid.* — Mont., *De morte Calani gymnosophistae*, l. II, c. XXIX.

cynicae orientalibusque sectis congruentem significabat. Quanta enim illo tempore inter cynicos et gymnosophistas fuerit similitudo multi cum veteres tum recentiores scriptores demonstraverunt (1). Cur autem tam varium et multiplicem hominem, qui plerumque irridetur, laudaverit Gellius, institutorum sane vel in minimis moralium et lepide dictorum amor et gratus ejus erga praeceptores vel adventicios animus causa fuit.

6° *De Plutarcho.*

Plutarchum aequalem fere suum Favorinique magistrum operibus saltem cognovit (2), aliquandoque reprehendendo tamen magis quam laudando eum citat. Ab eo scilicet immerito culpatum fuisse ait Epicurum quod in syllogismo quodam ordinem « qui in dicendo traditur » *repudiaverit* et *converterit*, id quidem non *inscitia :* idem enim saepius Platoni cum eleganti quadam licentia accidit. L. II, c. VIII.

(1) Martha : « Le plus fameux de ces charlatans, qui a effacé tous les autres, sinon par la gloire, du moins par la bizarrerie de sa mort, fut Pérégrinus, un aventurier qui, après avoir embrassé le christianisme, revint à la philosophie cynique et promena longtemps en Italie sa folie, son orgueil et sa bassesse... Tour à tour exalté par les uns, menacé d'être lapidé par les autres, il résolut de frapper les imaginations par une extravagance qu'on n'avait jamais vue et fit courir le bruit qu'il se brûlerait, comme Hercule, aux yeux de toute la Grèce assemblée. Lucien fut témoin de cette mort étrange et nous en fait le récit » (*Les moralistes sous l'empire romain*, p. 369). — Secundum Friedlaender, *op. cit.*, p. 146 hoc factum est anno post christ. n. 165.

(2) Cf. Ruske, p. 48. — Mercklin, *op. cit.*

Cum in alio loco sui de Homero libri Plutarchus dixerit eumdem Epicurum verbo parum proprio usum esse, Gellio illae criminationes *minutae* et *subfrigidae* videntur additque non modo Epicurum non has verborum elegantias sectari sed etiam insectari. L. II, c. IX.

Non sine miratione videmus Gellium, non minus rei morali quam grammaticis rebus studentem (1), eas Plutarchi de verborum usu animadversiones excerpere nec refellere quid per se falsi contineant Epicuri argumenta. Hic enim locus esset probandi voluptatem non doloris esse cessationem tantum vel absentiam, quae medium locum inter dolorem et voluptatem tenet : quod quidem a Tullio in libro de Finibus bonorum et malorum inscripto perspicue refellitur (2). Sed Gellius, academicorum ejus temporis more, quorum disciplinam apud Favorinum didicerat, Epicureis adversus stoicos et peripateticos adjutoribus favere debebat.

Auctore Plutarcho, quaedam de Pythagoreis aliisque philosophis, de quibus infra dicetur, narrat Gellius, nonnullaque ejus de rebus ad philosophiam paulum pertinentibus testimonia promit quibus parvam fidem praebere videtur. Dicit tamen eum hominem fuisse *in disciplinis gravi auctoritate* (3), sed

L., IV, c. XI. — III, c. VI. — XX, c. IX. — XVII, c. II. — XI, c. XVI.

(1) De Plutarcho; cf. Mont., *Essais*, l. III, c. V, VI. — Gréard, *Morale de Plutarque*. — Denis, *op. cit.*, t. II, p. 93, 102.

(2) Cic., *De Fin.*, II, 5 : « Quis enim est qui non videat haec esse in natura rerum tria? Unum cum in voluptate sumus; alterum cum in dolore; tertium hoc in quo nunc quidem sumus : credo idem vos nec in dolore nec in voluptate esse. »

(3) Mont., *loc. cit.* : « Plutarque, qui est de tous les aucteurs que je

non plane patet quantam ex eo in adipiscenda philosophia utilitatem, nisi quod ad historiam pertinet, ceperit.

cognoisse celuy qui a mieulx mesle l'art à la nature et le jugement à la science. »

II. — De Auctoribus quos legerit Gellius paulo ante eum functis.

1° *De Plinio Secundo.*

De Gellii magistris et iis qui eodem tempore fuerunt hactenus. Nunc quos legerit et quae de iis judicaverit dicendum.

Inter eos qui proximis ante eum saeculis vixerunt notandi sunt Plinius Secundus, Annaeus Seneca, Epictetus, M. Cato, T. Cicero, Nigidius Figulus, Ter. Varro (1).

L. IX, c. IV, 13. Plinius dicitur *vir in temporibus aetatis suae, ingenii dignitatisque gratia, auctoritate magna praeditus* (2). Quod non impedit quin quasdam ejus opiniones rejiciat (3). Vituperat enim eum Gellius quod incredibilia monstra narraverit eaque Democrito attribuerit (4), videturque etiam eum cum istis male

(1) Cf. Teuffel, *op. cit., passim.*

(2) *Ibid.*, t. II, p. 244.

(3) Cf. Mont., l. I, c. XXVI; l. II, c. XII; l. II, c. XIV, ubi haec refert Plinii sententiam : « Solum certum nihil esse certi, et homine nihil miserius aut superbius. »

(4) Vide infra de Democrito.

solertibus miscere quibus placuit Democriti nomen usurpare, *nobilitate* et *auctoritate* utentibus. L. X, c. xii, 8.

Citatur quoque Plinius, existimatus esse *aetatis suae* doctissimus, propter argumenti usum quod graece ἀντιστρέφον dicitur, quodque immerito ille credidit validissimum, quippe cum adversus eum qui protulerit converti possit. L. IX, c. vii, 7.

Haec de Plinio (1) dicta satis declarant Gellium, quanquam omnia discendi et undique excerpendi studiosus fuit, ad credenda omnia non pronum fuisse (2) ac semper judicii libertatem servavisse. Quamvis autem, Favorini exemplo, moderationem tenere soleat, ab ea aliquando discedit. De Democrito, quem plurimi fecit et cujus opiniones a commentis Plinii fabulis vindicat, infra dicetur.

2° *De Ann. Seneca.*

Severum de Seneca, Frontonem secutus (3), profert judicium, quippe cum eum dicat *insulsissime* loqui (de quibusdam Ciceronis in Ennium sententiis agitur), *nugatorem* et *ineptum*, *insubidum insulsumque* appellet et haec addat : « Sed jam verborum Senecae piget. » Hujus indignationis rationem reddit favor quo Gellius et ejus aequales Ennium prosequebantur (4). Quasi tamen aliquo lenimento acerbam L. XII, c. ii, 6. L. XII, c. ii, 8, 11.

(1) Cf. Ruske, *op. cit.*, p. 42. — Mercklin, p. 670 et *passim*.
(2) Vide Teuffel, t. III, p. 44.
(3) Cf. Friedlaender, *op. cit.*, p. 15.
(4) Teuffel, t. II, p. 209.

vituperationem mitigare vellet, hanc Senecae in avarum sententiam memorat : « quid enim refert quantum habeas? multo illud plus est quod non habes. »
L. XII, c. II, 13.
Non dubitat ergo, cum Quintiliano, Senecam vivendi praeceptorem laudare (1), sed Fabianum de eo imitatus judicium, adjicit : *adolescentium indolem non tam juvare quae bene dicta sunt quam inficere quae pessime*, cum ea praesertim *in re ancipiti pro consilio dicuntur*.
L. XII, c. II, 14.

3° *De Epicteto.*

Alium autem beatae vitae ac virtutis magistrum nulla cum exceptione Gellius laudat Epictetum (2), nec frigidi, ut quidam aiunt, rhetoris gerit personam cum his verbis Domitiani edictum censorio cuidam antiquiori comparatum refert : « Neque illis solum temporibus nimis rudibus necdum graeca disciplina expolitis philosophi ex urbe Roma pulsi sunt : verum etiam Domitiano imperante senatusconsulto ejecti atque urbe et Italia interdicti sunt. Qua tempestate Epictetus quoque philosophus propter id senatusconsultum Nicopolim Roma discessit. »
L. XV, c. XI.

Non facit hic indignatio verborum abundantiam sed aculeatam sententiam expromit : meminerat scilicet Epictetum sui Favorini fuisse magistrum (3)

(1) Quint., *De inst. orat.*, l. X; cf. Martha, *op. cit.*, p. 11. — J. Denis, *op. cit.*, t. II, p. 65.

(2) Cf. Ruske, p. 47.

(3) Vide supra.

et ab eo saepissime auctorem de re morali prolatum.

Libenter commemorat quibus dictis *maximus philosophorum* κυνικωτέρως eos increparet qui *factis procul, verbis tenus*, philosophantur. Cujus generis sunt haec : « Homo, quo illa injicis? considera an purum sit vas : omnia enim si in animum injicis tuum, pessum ibunt : si putrescunt, urina vel acetum fiunt, vel quid pejus (1). » Addit, auctore Favorino, ut supra diximus, solitum esse Epictetum dicere « duo esse vitia multo omnium gravissima ac teterrima, intolerantiam et incontinentiam, » quibuscum quemquam esse impeccabilem vitamque tranquillam agere negabat, semperque eum monere homines ut cordi haec duo praecepta haberent ἀνέχου καὶ ἀπέχου, scilicet sustine quae sunt a te aliena, abstine a voluptatibus : quae quidem laudare debebat Favorinus cum ab Academia non abhorreant (2).

L. XV, c. XI.

L. XV, c. XI, 5.

Notat quoque Gellius quid idem Epictetus inter insipientem et sapientem interesse dixerit, cum ille visa primo metuenda vere metuenda censeat, hic contra, primo animi motu pacato, non visis acquiescat, sed spernenda ea habeat nedum metuenda.

L. XIX, c. 1.

Nihil mirum quod Epictetum laudet Aulus *stoicorum maximum et venerandum senem*, cum stoicorum moralem disciplinam magna et sincera admiratione prosequatur. Quam sectam *sanctissimam* appel-

L. I, c. II, 6.

L. I, c. II, 7.

(1) Mont. « C'est une bonne drogue que la science, mais nulle drogue n'est assez forte pour se préserver sans altération et corruption selon le vice du vase qui l'estuye » (*Essais*, l. I, c. XXIV).

(2) Vide Brochard, *op. cit.*, *passim*.

lat, at sejungit a *vero* stoico illos qui nomen solum ementiuntur (1). Quaedam Epicteti graeco sermone expressa (2) de vana magniloquentia in ore Herodis Attici, ut supra dictum est, ponit : quae cuncta in latinum sermonem vertere longius visum est, novissima tamen reddere conabor. Insectatus eos qui stoicorum speciem non disciplinam induunt : « Cur, inquit Epictetus, vos dicitis esse stoicos? Judicate vosmetipsos ex iis quae agitis et cujus sectae sitis noveritis. Plurimos vestrum Epicureos noveritis, paucos quosdam peripateticos et eosdem dissolutos. » Haec enim semper Epictetus contendebat : non verbo sed re esse philosophandum.

In his etiam de M. Catone dictis apparet Gellium factorum in primis non verborum fuisse amatorem.

4° *De M. Catone.*

Marcus enim Cato, cujus optimam, ut dicitur (3), eloquentiae speciem expressit Gellius, *consularis* et
L. XIII, c. XXIII. *censorius*, cum rebus multis se *egere* dicit, *nulla carere*, magis *ad inopiam sustinendam* et *parsimoniam colendam promovet* quam *graecae istorum praestigiae philosophari sese dicentium*, *umbrasque verborum inanes fingentium*.

L. II c. XXVIII, 5, 7. Idem Cato, *vir in cognoscendis rebus multi studii*, parvi tamen fecit *rationes veras solis et lunae defi-*

(1) Cf. Martha, *op. cit.*, p. 31. — Friedlaender, *op. cit.*, p. 380.
(2) Cf. Friedlaender, p. 391.
(3) Teuffel, t. I, p. 181. — Ruske, p. 10. — Mercklin, p. 648 et seq.

cientium vel scire vel dicere. Virtutem porro et actionem (1) plurimi ille aestimabat, qui in carmine de moribus *avaritiam omnia vitia habere* putabat, atque hominum vitam ferro dicebat similem, quod *si exerceas conteritur, si non exerceas tamen rubigo interficit* : quorum malorum ipse sibi prius anteponebat. In exercitio tamen aliud dicebat esse *properare* aliud *festinare*, ac prius praeferre videbatur, quippe cum *unum quid mature transigere* significet. L. XI, c. II, 2. L. XI, c. II, 6. L. XVI, c. XIV, 2.

Horrebat ille *stultam et inanem dicendi copiam* et acerbe insectabatur quos *morbus tenet loquendi* : increpabat his verbis M. Coelii vilitatem : « Frusto, inquiebat, panis conduci potest vel uti taceat vel uti loquatur. » Non fieri poterat quin illa referret Gellius qui loquaces maxime aversari solebat. L. I, c. XV, 8. L. I, c. XV, 9. L. I, c. XV, 10.

Ne oratoriis quidem artificiis ignoscebat Cato et Albino cuidam qui libris graece compositis sibi, ut romano, mali sermonis veniam petebat : « Tibi oro te, ait, quis perpulit ut id committeres quod, priusquam faceres, peteres ut ignosceretur? » Nonne his relatis Gellius probat se quoque simulatam modestiam odisse? L. XI, c. VIII.

De impunitis peculatoribus, justitiae et veri vindex, vehementer dicebat : « Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus aetatem agunt : fures publici in auro atque purpura. » L. XI, c. XVIII.

Quae cuncta, illo digna a quo orator dictus fuit vir

(1) Cf. Mont., l. III, c. III. « C'est estre mais ce n'est pas vivre que de se tenir attaché et obligé par nécessité à un seul train : les plus belles âmes sont celles qui ont plus de variété et de soupplesse. »

lat, at sejungit a *vero* stoico illos qui nomen solum ementiuntur (1). Quaedam Epicteti graeco sermone expressa (2) de vana magniloquentia in ore Herodis Attici, ut supra dictum est, ponit : quae cuncta in latinum sermonem vertere longius visum est, novissima tamen reddere conabor. Insectatus eos qui stoicorum speciem non disciplinam induunt : « Cur, inquit Epictetus, vos dicitis esse stoicos? Judicate vosmetipsos ex iis quae agitis et cujus sectae sitis noveritis. Plurimos vestrum Epicureos noveritis, paucos quosdam peripateticos et eosdem dissolutos. » Haec enim semper Epictetus contendebat : non verbo sed re esse philosophandum.

In his etiam de M. Catone dictis apparet Gellium factorum in primis non verborum fuisse amatorem.

4° *De M. Catone.*

Marcus enim Cato, cujus optimam, ut dicitur (3), eloquentiae speciem expressit Gellius, *consularis* et L. XIII, c. XXIII. *censorius*, cum rebus multis se *egere* dicit, *nulla carere*, magis *ad inopiam sustinendam* et *parsimoniam colendam promovet* quam *graecae istorum praestigiae philosophari sese dicentium*, *umbrasque verborum inanes fingentium.*

L. II, c. XXVIII, 5, 7. Idem Cato, *vir in cognoscendis rebus multi studii*, parvi tamen fecit *rationes veras solis et lunae defi-*

(1) Cf. Martha, *op. cit.*, p. 31. — Friedlaender, *op. cit.*, p. 380.
(2) Cf. Friedlaender, p. 391.
(3) Teuffel, t. I, p. 181. — Ruske, p. 10. — Mercklin, p. 648 et seq.

cientium vel scire vel dicere. Virtutem porro et actionem (1) plurimi ille aestimabat, qui in carmine de moribus *avaritiam omnia vitia habere* putabat, atque L. XI, c. II, 2.
hominum vitam ferro dicebat similem, quod *si exerceas conteritur, si non exerceas tamen rubigo interficit :* quorum malorum ipse sibi prius anteponebat. L. XI, c. II, 6.
In exercitio tamen aliud dicebat esse *properare* aliud *festinare,* ac prius praeferre videbatur, quippe cum L. XVI, c. XIV, 2.
unum quid mature transigere significet.

Horrebat ille *stultam et inanem dicendi copiam* et L. I, c. XV, 5.
acerbe insectabatur quos *morbus tenet loquendi :* in- L. I, c. XV, 9.
crepabat his verbis M. Coelii vilitatem : « Frusto, inquiebat, panis conduci potest vel uti taceat vel uti L. I, c. XV, 10.
loquatur. » Non fieri poterat quin illa referret Gellius qui loquaces maxime aversari solebat.

Ne oratoriis quidem artificiis ignoscebat Cato et L. XI, c. VIII.
Albino cuidam qui libris graece compositis sibi, ut romano, mali sermonis veniam petebat : « Tibi oro te, ait, quis perpulit ut id committeres quod, priusquam faceres, peteres ut ignosceretur? » Nonne his relatis Gellius probat se quoque simulatam modestiam odisse?

De impunitis peculatoribus, justitiae et veri vindex, L. XI, c. XVIII.
vehementer dicebat : « Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus aetatem agunt : fures publici in auro atque purpura. »

Quae cuncta, illo digna a quo orator dictus fuit vir

(1) Cf. Mont., l. III, c. III. « C'est estre mais ce n'est pas vivre que de se tenir attaché et obligé par nécessité à un seul train : les plus belles âmes sont celles qui ont plus de variété et de soupplesse. »

bonus dicendi peritus, summa cura refert ideoque se ante omnia rei moralis studiosum fuisse ostendit.

Non mihi arbitror plura de Catonis orationibus excerpenda, satis habenti commemorare qua vi et
L. III, c. VII. patriae amore Leonidae Caedicium quemdam (Laberium vocant alii) comparet. Ne haec tamen philoso-
L. XVI, c. I, 4. phi et Musonii dictis similia omittamus : « Cogitate cum animis vestris : si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis recedet, bene factum a vobis, dum vivetis, non abscedet : sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit. » Quamvis ad haec nullum probationis signum addat Gellius, eo quod hunc locum citat, toto corde admittere videtur.

Hoc quoque proverbio, quo saepius utebatur, cum
L. XIII, c. XVIII. academicis Cato consentiebat, nec vanae spei credendum esse contendebat : « Saepe audivi inter os atque offam multa intervenire posse : verumvero inter offam atque herbam, ibi vero longum intervallum (1) est. » Ejus etiam dicta de philosophis referuntur quos ille
L. XVIII, c. VII. factorum magis quam verborum amator *mera mortualia* esse aiebat (2), quippe cum *vitae atque morum*

(1) Montan. « O la courageuse faculté que l'esperance... nature nous a là donné un plaisant jouet! » (l. 1, c. XLVI).

(2) In eo consentiebat Cato cum Pacuvio cujus hunc versum *Macedo philosophus, vir bonus*, Gellii *familiaris, scribi debere* censebat *pro foribus omnium templorum :*

Ego odi homines ignava opera et philosopha sententia.

(A. Gell., XIII, VIII.)

in primis *disciplinas* quaereret. Laudatur tamen ejusdem oratio contra Galbam, *cum multa venustate atque luce atque munditia verborum* habita : quod cum Tullii de M. Catone judiciis congruit. Id enim jam tum, auctore Gellio, in eloquentia *facere voluit quod postea* perfecit Cicero (1).

5° *De Cicerone.*

De Cicerone vero apud Gellium plura quae ad elo-
quentiam quam ad philosophiam spectant narran-
tur (2). « Magno cum studio maximoque opere » dici- L. XIII, c. xxviii.
tur Panaetii libros aemulatus fuisse et confessus esse
fati libertatisque conciliationem *implicatissimam* nec
a Chrysippo fuisse expeditam. « Chrysippus, inquit, L. VI, c. ii, 8.
aestuans laboransque quonam pacto explicet et fato
omnia fieri et esse aliquid in nobis intricatur. » Jam
supra vidimus Favorinum, academicos secutus, eam
stoicorum difficultatem pugnavisse.

Ciceronem quoque ait Gellius Theophrasti de ami- L. I, c. iii, 2.
citia librum prius legisse quam suum de ea re com-
poneret, nec tamen tam presse et exacte disseruisse,
cum contra « quatenus dari amicitiae venia possit » L. I, c. iii, 13.
non doceat et « anxietate illa et quasi morositate dis-
putationum praetermissa, genus ipsum rei tantum
paucis verbis » notaverit. Malignum quoque judicium L. I, c. iii, 12.

(1) Cf. Cic., *Brut.*, XVI, xvii.

(2) De Cicerone ; vide Teuffel, t. I, p. 310 et seq. — Mommsen, *Hist. rom.*, trad. Alexandre, t. VII, p. 358-364. — Ruske, p. 10.

huic fere simile de illo dialogo nostrae aetatis germanus scriptor tulit, ad quem te revoco (1).

6° *De P. Nigidio Figulo.*

A Cicerone ad P. Nigidium Figulum facilis erit transitio, quippe quem M. Cicero *ingenii doctrinarum que nomine summe reveritus sit* (2) : de quo plurima sunt apud Gellium sed praesertim ad vocabulorum usum et originem spectantia. Ex iis tamen quaedam eligenda esse credidimus, quibus conjici potest quae fuerit Gellii ingenii natura.

Hoc in primis : *nomina verbaque non positu fortuito sed quadam vi et ratione naturae* facta esse docet P. Nigidius. Inter multa quibus sententiam comprobat, hoc *lepidum* ac *festivum* Gellio videtur quod dicit de verbis *nos* et *vos*, *tu* et *ego*, *tibi* et *mihi*. Hanc disputationem apud philosophos celebrem dicit Gellius quandoquidem ab iis quaeri solitum est φύσει τὰ ὀνόματα sint ἢ θέσει : levissimum tamen videtur Nigidii argumentum idque jam Montanus sub nomine Chrysippi positum reprehenderat (3).

L. X, c. IV, 1.

L. X, c. IV, 3.

Nonnulla quoque de etymologiis referuntur, at diverse judicantur. Contra Nigidium negat Gellius *ava-*

(1) Vide Teuffel, *ibid.*, p. 327.

(2) « Fuit enim vir ille cum ceteris artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum quae a natura involutae videntur. » (Cic., *Timaeus*, édit. Lemaire, p. 551 ; cf. Mommsen, t. VII, p. 303-304.)

(3) Mont., *Essais*, l. II, c. XII.

rum copulatum junctumque vocabulum ex avido aeris, existimatque ab uno *aveo inclinatum*, quod simplicius ac verisimilius videtur. L. X, c. v.

Cum Nigidium probat auctorem de origine vocabulorum *vani* et *stolidi*, quorum significationem exemplis ille confirmavit, cum *vanus* de mendace et infido, *stolidus* de tetro et molesto dicatur, non vera esse contra judicat sed audaciora argutioraque quae de verbo *autumo* dixit Nigidius, *homo eruditissimus*, comparans cum iis quae Tullius affirmavit, *vir acerrimae in studio litterarum diligentiae* (1). L. XVIII, c. iv. L. XV, c. iii.

Eadem diligentia utitur et paulum verborum aculeis videtur studuisse Gellius, cum asserit Nigidium argute et subtiliter (2) interpretatum esse *fratris* vocabuli originem, affirmantem : « frater est dictus quasi fere alter. » Alias de vi ac significatione sermonis omittemus disputationes quas Gellii temporibus crebras fuisse apparet. L. XVIII, c. x, 4. L. IV, c. ix, 1.

Moderationem et temperantiam, quam Favorino duce laudabat Aulus, satis plane definire ei videtur P. Nigidius, cum dicit : « mature est quod neque citius est neque serius sed medium quiddam et temperatum est, » sicut maturae fruges vocantur quae neque crudae neque caducae sunt. Hi mature agunt qui *industriae celeritatem* et *diligentiae tarditatem* secundum *divi* Augusti praeceptum, adhibent (3), Nigidium ergo laudibus effert Gellius et quamvis fa- L. X, c. xi. L. X, c. xi, 5.

(1) Vide Teuffel, t. I, p. 274, 275.
(2) *Ibid.*, p. 275.
(3) Cf. Mont., *Essais*, l. III, c. x.

L. XIX. c. XIV. teatur in ejus *commentationibus* inesse *obscuritatem*, addit tamen : « doctrinarum multiformium variarumque artium quibus humanitas erudita est culmina » fuisse M. Varronem et P. Nigidium. Sed apud Gellium desiderantur quae illius patefacere philosophiam possent, qui Pythagoricus et magus dicitur cujusque cognomen astrologum significabat, quippe cum coeli motum cum figulinae rotae motu compararet. Nobili genere natus optimatumque partes secutus, ad Pythagorae disciplinam inclinare natura debebat et cum summa fide et arte mira, non sine praestigiis quibusdam, in orationibus suis non minus quam in scriptis ad deorum et rerum naturam pertinentibus, concretam e diversissimis elementis doctrinam exposuit : qua constat animos hominum vel doctissimorum penitus commotos fuisse (1). Quamobrem non mirum est quod Gellius ei valde studuerit, insita curiositate impulsus, nec tamen illam multifariam et ex pluribus haustam scholis philosophiam, in quam pythagoreorum et platonicorum placita, graecorum opiniones traditaque orientis coiverunt, penetraverit (2).

7° *De Terentio Varrone.*

Magna certe fuit T. Varronis scientia, quem Cicero praedicat *hominem omnium facile acutissimum*

(1) Cf. Mommsen et Teuffel, *loc. cit.* — Renouvier, *Man. de ph. anc.*, t. II, p. 234.
(2) Cf. Denis, *op. l.*, t. I, p. 257.

et *sine ulla dubitatione doctissimum* (1), qui de grammatica, musica, historia, geometria, philosophia tractavit quique de moribus, de diis, de legibus varia opera scripsit, qui prorsus omnes disciplinas amplexus est. Ideo eum, ut jam alii quibus assentiri libet demonstraverunt, juxta Nigidium admiratur et laudat Gellius (2).

Refert quae de septenarii numeri vi (3) et septen- L. III, c. x.
trionis etymologia senserit, nonnullaque quae de L. II, c. xxi.
lingua et sermone dixit ille, *doctior quam fuit Claudius cum Coelio*. Varrone enim et Nigidio auctoribus, L. X, c. I, 4.
philologia latina, a Stylone incepta, plurimum viguit : at recte a quibusdam reprehenduntur et pro insanis habitae sunt etymologiae sonorum similitu- L. XVII, c. XVI. — III, c. XVI.
dine definitae quas citavit sine fere ullo discrimine Gellius (4). Plura apud eum Varronis legenda sunt quae ad grammaticam quam ad philosophiam spectant : ad hanc tamen quodam modo pertinent ea quibus geometriae utilitatem demonstrat et quae de L. XVI, c. XVIII.
Socrate narrat qui Xantippes uxoris contumelias, quo melior fieret ipse, leniter ferebat : addebat T. Varro : « Vitium uxoris aut tollendum aut ferendum, »

(1) Cic., *Brut. Acad. post*, I, 9. — Mont. : « Varro ayant tenu le premier rang en sçavoir entre les Romains » ... « Varro le plus subtil et le plus sçavant auteur latin. » (*Essais*, l. II, c. XII.) — Boissier, *Etude sur la vie et les ouvrages de T. Varron*, 1861, ubi fragmentis Gellii multum usus est.

(2) Mommsen, t. VII, p. 341 et seq. — Teuffel, t. I, p. 274-275. — Ruske, p. 21.

(3) Boissier, *op. cit.*, p. 345.

(4) Mommsen, *ibid.*, p. 367.

aiebatque eum *qui tollit vitium uxorem commodiorem*
L. I, c. XVII. *praestare*, *qui fert sese meliorem facere.*

L. II, c. XVIII. — XIII, c. XXX. De satiris Menippeo more a Varrone scriptis multa nos docet Gellius, ex quibus vitae praecepta non tantum communia sed etiam singularia expromebat. Sic si motus terrae fieret, litandum esse aiebat, incertum deo an deae, *ne alium pro alio nominando falsa reli-*
L. II, c. XXVIII. *gione* populus alligaretur. Tantum in diis *immortalibus animadvertendis castissimi cautissimique* erant Romani! Satiris enim cum a Lucilio differret (1) Varro et Heraclidem Menippumque magistros suos (2) imitaretur, non servili modo sequebatur, ac si ab iis formam peteret, attamen ex historia suae gentis ac praecipue sui temporis, ut nuper dictum est, materiam hauriebat (3). — Hanc rem Gellius non indicavit.

L. I, c. XX. Quod ad geometriam pertinet, lineae citat definitionem quam Varro ait « longitudinem quamdam sine latitudine et altitudine » adhuc usurpatam, quod uno verbo tantum latino exprimi non posse censet Gellius,
L. I, c. XX. nisi quis audeat dicere *illatabile.*

Multis aliis Varronis fragmentis a nostro proposito alienis Gellius sane ostendit se permultum eo usum fuisse cum paucorum in manibus versarentur opera; ex quo etiam apparet quo discendi studio flagraret et suae aetatis imaginem effingeret qua doctissimus quisque ad vetutissimos scriptores legendos pronus

(1) Cf. Mommsen, *ibid.*, p. 342.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*, p. 343; cf. Teuffel, t. I, p. 265, 266.

erat. Ex iis tamen praecipue excerpebat quae ad mores spectarent, improbatis omnibus quae exquisitiora alio pertinere viderentur. Sic Ennianam refert sententiam : « Philosophandum est paucis, nam omnino haud placet, » idque propter quod apud quosdam disputaretur vox sit corporea annon? memoratque Lucretii Cari opinionem : L. V, c. xv.

« Tangere enim aut tangi nisi corpus nulla potest res (1). »

(1) Luc, *De rer. nat.*, I, 304.

III. — DE VETERIBUS PHILOSOPHIS.

1° *De Pythagora et Pythagoreis.*

Plerasque tamen veterum philosophorum disciplinas saepe quidem breviter, interdum diligentius, attigit.

A Pythagoreis ordiar. In Italiam, regnante Tarquinio superbo Pythagoram venisse (1) ait : de tempore vero quo id factum est alii jam disputaverunt, cujus incertas aestimationes traditas esse contendunt, quos consulere oportet (2). Laudat Gellius apud eum et eos, *quos familiae ejus successionem* appellat, illum *ordinem et rationem* quibus reciperentur et instituerentur discipuli, ac memorat illud diutinum silentium quod iis, postquam de corporis et oris habitu conjecturam fecisset, praescribebat. Pythagoras enim videtur primus animadvertisse (3) quatenus vultus animum et mores significet et hanc artem invenisse

L. XVII, c. XXI.

L. I, c. IX.

(1) Cic., *De Rep.*, l. II, c. XV.

(2) Zeller, *Phil. des Grecs*, t. I, p. 296. — Grote, *Hist. gr.*, trad. franç., t. VI, p. 268; cf. p. 259.

(3) Cf. Apul., *Floril.*, II, 15. — Lucian., *Vit. auct.*, 3. — Zeller, *loc. cit.*, t. I, p. 310.

quam φυσιογνωμονίαν vocant : quae ars superiore seculo ab Helvetico quodam scriptore, qui quasi fanaticum furorem spirabat, amplius prolata fuit et nostris temporibus severiorum materiam inquisitionum praebuit.

Quod si Pythagoras mathematicis magis quam animi scientiae studebat et majore cura principia rerum numerorumque vices quam humanae mentis naturam anquirere videbatur (narrat enim Gellius, L. I, c. I.
auctore Plutarcho, quomodo Samius ille philosophus, cum Olympiae stadium ab Hercule sexcentis pedibus metatum, ceteris Graeciae stadiis comparasset, *ratione proportionis habita*, statum longitudinemque Herculis mensus sit; eumdemque ait dixisse lunam septem et viginti diebus orbem suum lustrare, qui numerus *ternio* cubum efficit); — eum tamen non L. I, c. XX.
fugiebat mente agitari corpoream molem vultuque cogitationis affectuumque signa et imaginem referri : quod ceterum congruere videtur cum illa de futura vita doctrina cujus sectatores docebant animam in ejus bestiae corpus praecipitem ire cujus quisque potissimum mores effinxisset.

Copiosius illud silentium, non omnibus idem, sed aliis aliud pro *solertiae* aestimatione, nec minus ta- L. I, c. IX, 3, sq.
men ulli quam *biennium*, probat Gellius, excerpitque pro exemplo ac praecepto satiram quam Tauro attribuit, adolescentes suae aetatis reprehendenti qui de omnibus rebus, nondum satis exerciti eruditique, disserere magistrisque disciplinae regulam et modum indicare contendunt.

L. I, c. IX, 3, sq. Tres Pythagoreorum ordines enumerat et distinguit Gellius : quod pervulgatum meminisse satis est. Asserit quoque inter Pythagoreos societatem quamdam *inseparabilem* fuisse, similem illi antiquo consortio quod Romani appellabant *ercto non cito*. Quidam credunt illud societatis consortium paucis tantum fuisse tributum, scilicet iis qui in primum ordinem pervenerant (1).

Inter ea quae de Pythagoreis disseruit Gellius, disputat num animalium carne et fabis abstinuerint, quam falsam existimat opinionem. Testimonia refert Callimachi poetae qui fabis iis interdictum fuisse asserit quia corpus perturbent (2), cum contra Aristoxenus, Aristotelis discipulus, qui negat fabas *alvum subducere*, referat se a Pythagorico Xenophilo, cujus erat amicus, et a quibusdam aliis qui *ab aetate Pythagorae haud multum aberant*, audiisse Pythagoram fabis saepissime et porculis haedulisque usum fuisse, ac Plutarchus, auctore Aristotele, Pythagoreos paucis tantum animalium partibus dicat abstinuisse. Fabarum interdictionem Gellius interpretari videtur secundum Empedoclem (3) qui, *disciplinas Pythagorae secutus*, versu quodam carminis « non a fabulo edendo, sed a rei veneriae proluvio homines deducere » voluit. Nonnulli credunt hanc Gellii interpretationem esse falsam et a quadam orphicorum consuetudine de-

(Marginal note beside "putat num animalium": L. IV, c. IX, 1, sq.)

(1) Zeller, *ibid.*, p. 311 ; cf. Grote, *ibid.*, p. 252-253.
(2) Cf. Cic., *De Divinat.*, I, 30.
(3) *Emped. carm. fragm.*, éd. Mullach, v. 451; cf. Ritter, *Hist. de la phil. anc.*, t. I, p. 299, note. — Chaignet, *Pythagore*, t. I, p. 122.

sumptam postea ad veteres pythagoreos fuisse relatam (1). Alii carnis edendae interdictionem non verisimilem esse contendunt cum inter illius disciplinae sectatores annumeretur athleta Milo crotoniensis (2).

Refert quoque Gellius a Dicaearcho peripatetico, Clearchoque, Platonis et Isocratis discipulo, traditum fuisse Pythagoram non Euphorbum tantum, quod omnibus constat, sed etiam Pyrandrum, Callicleam et pulchra facie meretricem cui nomen fuerat Alco (3). L. IV, c. xi, 14.

Quod ad moralem philosophiae partem attinet, ait Gellius pythagoreis visum fuisse homines sibi sua mala attribuere debere, nec deos aut fatum eorum insimulare. L. VII, c. ii.

Pythagoreum Archytam narrat, auctoribus compluribus inter quos Favorinus est, *simulacrum columbae e ligno* fecisse quod volaret : quod prodigium illi videtur verisimile et credit tali modo fabricatum : « Ita erat scilicet libramentis suspensum et aura spiritus inclusa atque occulta concitum. » L. X, c. xii, 9.

Auctore item Gellio, primum Aristidem Samium dixit Varro lunarem curriculum octo et viginti diebus effici animadvertisse : ad quod haec adjicienda sunt L. III, c. x. quod et numerus ille quater septenis efficiatur et

(1) Cf. Zeller, *l. l.*, t. I, p. 313.

(2) Grote, *l. l.*, p. 252.

(3) *Alce* legitur in edd. Tauchnitz et Panckoucke; cf. Chaignet, *l. l.*, t. I, p. 68. — Zeller, t. I, p. 308. — Mont., *Essais*, l. II, c. xi et xii. — Condillac, *Hist. anc.*, t. X, p. 133. — Taine, *L'Intelligence*, l. II, c. i, § 5. — Grote, t. VI, p. 252, qui Pythagorae dicta cum Empedoclis dictis comparat. »

L. XIX, c. XIV. teatur in ejus *commentationibus* inesse *obscuritatem*, addit tamen : « doctrinarum multiformium variarumque artium quibus humanitas erudita est culmina » fuisse M. Varronem et P. Nigidium. Sed apud Gellium desiderantur quae illius patefacere philosophiam possent, qui Pythagoricus et magus dicitur cujusque cognomen astrologum significabat, quippe cum coeli motum cum figulinae rotae motu compararet. Nobili genere natus optimatumque partes secutus, ad Pythagorae disciplinam inclinare natura debebat et cum summa fide et arte mira, non sine praestigiis quibusdam, in orationibus suis non minus quam in scriptis ad deorum et rerum naturam pertinentibus, concretam e diversissimis elementis doctrinam exposuit : qua constat animos hominum vel doctissimorum penitus commotos fuisse (1). Quamobrem non mirum est quod Gellius ei valde studuerit, insita curiositate impulsus, nec tamen illam multifariam et ex pluribus haustam scholis philosophiam, in quam pythagoreorum et platonicorum placita, graecorum opiniones traditaque orientis coiverunt, penetraverit (2).

7° *De Terentio Varrone.*

Magna certe fuit T. Varronis scientia, quem Cicero praedicat *hominem omnium facile acutissimum*

(1) Cf. Mommsen et Teuffel, *loc. cit.* — Renouvier, *Man. de ph. anc.*, t. II, p. 234.
(2) Cf. Denis, *op. l.*, t. I, p. 257.

et *sine ulla dubitatione doctissimum* (1), qui de grammatica, musica, historia, geometria, philosophia tractavit quique de moribus, de diis, de legibus varia opera scripsit, qui prorsus omnes disciplinas amplexus est. Ideo eum, ut jam alii quibus assentiri libet demonstraverunt, juxta Nigidium admiratur et laudat Gellius (2).

Refert quae de septenarii numeri vi (3) et septen- L. III, c. x.
trionis etymologia senserit, nonnullaque quae de L. II, c. xxi.
lingua et sermone dixit ille, *doctior quam fuit Clau-*
dius cum Coelio. Varrone enim et Nigidio auctoribus, L. X, c. I, 4.
philologia latina, a Stylone incepta, plurimum
viguit : at recte a quibusdam reprehenduntur et pro
insanis habitae sunt etymologiae sonorum similitu- L. XVII, c. XVI.
dine definitae quas citavit sine fere ullo discrimine — III, c. XVI.
Gellius (4). Plura apud eum Varronis legenda sunt
quae ad grammaticam quam ad philosophiam spectant : ad hanc tamen quodam modo pertinent ea
quibus geometriae utilitatem demonstrat et quae de L. XVI, c. XVIII.
Socrate narrat qui Xantippes uxoris contumelias, quo melior fieret ipse, leniter ferebat : addebat T. Varro : « Vitium uxoris aut tollendum aut ferendum, »

(1) Cic., *Brut. Acad. post*, I, 9. — Mont. : « Varro ayant tenu le premier rang en sçavoir entre les Romains » ... « Varro le plus subtil et le plus sçavant auteur latin. » (*Essais*, l. II, c. XII.) — Boissier, *Etude sur la vie et les ouvrages de T. Varron*, 1861, ubi fragmentis Gellii multum usus est.

(2) Mommsen, t. VII, p. 341 et seq. — Teuffel, t. I, p. 274-275. — Ruske, p. 21.

(3) Boissier, *op. cit.*, p. 345.

(4) Mommsen, *ibid.*, p. 367.

aiebatque eum *qui tollit vitium uxorem commodiorem*
L. I, c. XVII. *praestare, qui fert sese meliorem facere.*

L. II, c. XVIII. — XIII, c. XXX. De satiris Menippeo more a Varrone scriptis multa nos docet Gellius, ex quibus vitae praecepta non tantum communia sed etiam singularia expromebat. Sic si motus terrae fieret, litandum esse aiebat, incertum deo an deae, *ne alium pro alio nominando falsa reli-*
L. II, c. XXVIII. *gione* populus alligaretur. Tantum in diis *immortalibus animadvertendis castissimi cautissimique* erant Romani! Satiris enim cum a Lucilio differret (1) Varro et Heraclidem Menippumque magistros suos (2) imitaretur, non servili modo sequebatur, ac si ab iis formam peteret, attamen ex historia suae gentis ac praecipue sui temporis, ut nuper dictum est, materiam hauriebat (3). — Hanc rem Gellius non indicavit.

L. I, c. XX. Quod ad geometriam pertinet, lineae citat definitionem quam Varro ait « longitudinem quamdam sine latitudine et altitudine » adhuc usurpatam, quod uno verbo tantum latino exprimi non posse censet Gellius,
L. I, c. XX. nisi quis audeat dicere *illatabile*.

Multis aliis Varronis fragmentis a nostro proposito alienis Gellius sane ostendit se permultum eo usum fuisse cum paucorum in manibus versarentur opera; ex quo etiam apparet quo discendi studio flagraret et suae aetatis imaginem effingeret qua doctissimus quisque ad vetutissimos scriptores legendos pronus

(1) Cf. Mommsen, *ibid.*, p. 342.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*, p. 343; cf. Teuffel, t. I, p. 265, 266.

erat. Ex iis tamen praecipue excerpebat quae ad mores spectarent, improbatis omnibus quae exquisitiora alio pertinere viderentur. Sic Ennianam refert sententiam : « Philosophandum est paucis, nam omnino haud placet, » idque propter quod apud quosdam disputaretur vox sit corporea annon? memoratque Lucretii Cari opinionem : L. V, c. xv.

« Tangere enim aut tangi nisi corpus nulla potest res (1). »

(1) Luc, *De rer. nat.*, I, 304.

III. — DE VETERIBUS PHILOSOPHIS.

1° *De Pythagora et Pythagoreis.*

Plerasque tamen veterum philosophorum disciplinas saepe quidem breviter, interdum diligentius, attigit.

A Pythagoreis ordiar. In Italiam, regnante Tarqui-
L. XVII, c. XXI. nio superbo Pythagoram venisse (1) ait : de tempore vero quo id factum est alii jam disputaverunt, cujus incertas aestimationes traditas esse contendunt, quos consulere oportet (2). Laudat Gellius apud eum et
L. I, c. IX. eos, *quos familiae ejus successionem* appellat, illum *ordinem et rationem* quibus reciperentur et instituerentur discipuli, ac memorat illud diutinum silentium quod iis, postquam de corporis et oris habitu conjecturam fecisset, praescribebat. Pythagoras enim videtur primus animadvertisse (3) quatenus vultus animum et mores significet et hanc artem invenisse

(1) Cic., *De Rep.*, l. II, c. xv.

(2) Zeller, *Phil. des Grecs*, t. I, p. 296. — Grote, *Hist. gr.*, trad. franç., t. VI, p. 268; cf. p. 259.

(3) Cf. Apul., *Floril.*, II, 15. — Lucian., *Vit. auct.*, 3. — Zeller, *loc. cit.*, t. I, p. 310.

quam φυσιογνωμονίαν vocant : quae ars superiore seculo ab Helvetico quodam scriptore, qui quasi fanaticum furorem spirabat, amplius prolata fuit et nostris temporibus severiorum materiam inquisitionum praebuit.

Quod si Pythagoras mathematicis magis quam animi scientiae studebat et majore cura principia rerum numerorumque vices quam humanae mentis naturam anquirere videbatur (narrat enim Gellius, L. I, c. I. auctore Plutarcho, quomodo Samius ille philosophus, cum Olympiae stadium ab Hercule sexcentis pedibus metatum, ceteris Graeciae stadiis comparasset, *ratione proportionis habita*, statum longitudinemque Herculis mensus sit; eumdemque ait dixisse lunam septem et viginti diebus orbem suum lustrare, qui numerus *ternio* cubum efficit); — eum tamen non L. I, c. XX. fugiebat mente agitari corpoream molem vultuque cogitationis affectuumque signa et imaginem referri : quod ceterum congruere videtur cum illa de futura vita doctrina cujus sectatores docebant animam in ejus bestiae corpus praecipitem ire cujus quisque potissimum mores effinxisset.

Copiosius illud silentium, non omnibus idem, sed aliis aliud pro *solertiae* aestimatione, nec minus tamen L. I, c. IX, 3, sq. ulli quam *biennium*, probat Gellius, excerpitque pro exemplo ac praecepto satiram quam Tauro attribuit, adolescentes suae aetatis reprehendenti qui de omnibus rebus, nondum satis exerciti eruditique, disserere magistrisque disciplinae regulam et modum indicare contendunt.

L. I, c. IX, 3, sq. Tres Pythagoreorum ordines enumerat et distinguit Gellius : quod pervulgatum meminisse satis est. Asserit quoque inter Pythagoreos societatem quamdam *inseparabilem* fuisse, similem illi antiquo consortio quod Romani appellabant *ercto non cito*. Quidam credunt illud societatis consortium paucis tantum fuisse tributum, scilicet iis qui in primum ordinem pervenerant (1).

Inter ea quae de Pythagoreis disseruit Gellius, disputat num animalium carne et fabis abstinuerint, L. IV, c. IX, 1, sq. quam falsam existimat opinionem. Testimonia refert Callimachi poetae qui fabis iis interdictum fuisse asserit quia corpus perturbent (2), cum contra Aristoxenus, Aristotelis discipulus, qui negat fabas *alvum subducere*, referat se a Pythagorico Xenophilo, cujus erat amicus, et a quibusdam aliis qui *ab aetate Pythagorae haud multum aberant*, audiisse Pythagoram fabis saepissime et porculis haedulisque usum fuisse, ac Plutarchus, auctore Aristotele, Pythagoreos paucis tantum animalium partibus dicat abstinuisse. Fabarum interdictionem Gellius interpretari videtur secundum Empedoclem (3) qui, *disciplinas Pythagorae secutus*, versu quodam carminis « non a fabulo edendo, sed a rei veneriae proluvio homines deducere » voluit. Nonnulli credunt hanc Gellii interpretationem esse falsam et a quadam orphicorum consuetudine de-

(1) Zeller, *ibid.*, p. 311 ; cf. Grote, *ibid.*, p. 252-253.

(2) Cf. Cic., *De Divinat.*, I, 30.

(3) *Emped. carm. fragm.*, éd. Mullach, v. 451; cf. Ritter, *Hist. de la phil. anc.*, t. I, p. 299, note. — Chaignet, *Pythagore*, t. I, p. 122.

sumptam postea ad veteres pythagoreos fuisse relatam (1). Alii carnis edendae interdictionem non verisimilem esse contendunt cum inter illius disciplinae sectatores annumeretur athleta Milo crotoniensis (2).

Refert quoque Gellius a Dicaearcho peripatetico, Clearchoque, Platonis et Isocratis discipulo, traditum fuisse Pythagoram non Euphorbum tantum, quod omnibus constat, sed etiam Pyrandrum, Callicleam et pulchra facie meretricem cui nomen fuerat Alco (3). L. IV, c. XI, 14.

Quod ad moralem philosophiae partem attinet, ait Gellius pythagoreis visum fuisse homines sibi sua mala attribuere debere, nec deos aut fatum eorum insimulare. L. VII, c. II.

Pythagoreum Archytam narrat, auctoribus compluribus inter quos Favorinus est, *simulacrum columbae e ligno* fecisse quod volaret : quod prodigium illi videtur verisimile et credit tali modo fabricatum : « Ita erat scilicet libramentis suspensum et aura spiritus inclusa atque occulta concitum. » L. X, c. XII, 9.

Auctore item Gellio, primum Aristidem Samium dixit Varro lunarem curriculum octo et viginti diebus effici animadvertisse : ad quod haec adjicienda sunt L. III, c. X. quod et numerus ille quater septenis efficiatur et

(1) Cf. Zeller, *l. l.*, t. I, p. 313.

(2) Grote, *l. l.*, p. 252.

(3) *Alce* legitur in edd. Tauchnitz et Panckoucke; cf. Chaignet, *l. l.*, t. I, p. 68. — Zeller, t. I, p. 308. — Mont., *Essais*, l. II, c. XI et XII. — Condillac, *Hist. anc.*, t. X, p. 133. — Taine, *L'Intelligence*, l. II, c. I, § 5. — Grote, t. VI, p. 252, qui Pythagorae dicta cum Empedoclis dictis comparat. »

septenarius omnes numeros per quos progressus est sibi additos *comprehendat*.

Fatendum est quidem Gellium in iis magis vitam et habitum Pythagorae et Pythagoreorum leviter praestrinxisse quam in interiores disciplinae partes penetravisse : quaedam tamen ex ejus testimoniis utilitas percipi potuit.

L. III, c. xi. Pythagorae fere aequalis Xenophanes ob hoc solum memoratur quod de Homeri Hesiodiqué aetate disputavit et illum hoc priorem natu fuisse contendit. Nihil omnino de Eleatica philosophia apud Gellium : item de Ioniis siletur. Cur ea neglexerit causa sane fuit ejus ingenium magis ad narrationem quam ad indagationem pronum et leviorum rerum studium, quod in ejus aetate vigere solebat.

L. XV, c. xx. De Anaxagora hoc solum refertur Euripidem (1) ejus fuisse discipulum, cujus personae aeque ac doctrinis alludere poeta nonnunquam videtur (2) : de Empedocle, praeter versum de fabis supra relatum qui num vere ad Empedoclem pertineat et eam significationem habeat dubitatur (3), cum ad populi suffragia spectare posset, eum *in philosophiae naturalis studio* juxta tempora pugnae apud fluvium Cremeram floruisse. (L. XVII, c. xxi, 14.)

Hoc tamen testimonium quidam aiunt nimis tempore definitum et pauca de Empedoclis vita esse

(1) Cf. Cic., *Tusc.*, III, 14. — Grote, t. XII, p. 138.
(2) Zeller, t. II, p. 387.
(3) Zeller, t. II, p. 250. — Grote, t. XII, p. 157.

cognita (1). Nullam facit mentionem de commercio quod creditur fuisse Empedocli cum quibusdam pythagorei collegii philosophis nec de eo studio quo mysticam Pythagorae orationem imitabatur ac miracula affectabat (2).

2° *De Democrito et Epicuro.*

Plura dicit de Democrito. Vixisse eum ait « circa annum fere post conditam Romam trecentesimum vicesimum tertium ; » a Gellio alii dissentiunt qui annos quibus natus et mortuus est Democritus incertos esse asserunt (3). L. XVII, c. XXI, 18.

Refert quomodo et qua causa Democritus semetipsum *luminibus oculorum privasse* tradatur, quo melius intenderet animum aut, si Laberio fides est habenda, ne florentes malos cives videret. Quae historia vera an falsa sit non perpendit dum conjici potest cum probatissimis auctoribus (4) eam ex illis quae de sensuum erroribus cogitabat Democritus desumptam esse. L. X, c. XVII.

Auctore Democrito, tibiarum sonus nonnullis morbis remedio est : « Tanta prorsus, inquit Gellius, affinitas est corporibus hominum mentibusque et propterea vitiis quoque aut medelis animorum et L. IV, c. XIII, 4.

(1) Zeller, t. II, p. 199, 200.
(2) Grote, *ibid.*
(3) Vide Zeller, t. II, p. 281.
(4) Mont., *Essais*. II, VI, XII. — Cic., *De Fin.*, V, 29, illam historiam pro vera accipiunt. Vide contra Zeller, t. II, p. 284.

septenarius omnes numeros per quos progressus est sibi additos *comprehendat.*

Fatendum est quidem Gellium in iis magis vitam et habitum Pythagorae et Pythagoreorum leviter praestrinxisse quam in interiores disciplinae partes penetravisse : quaedam tamen ex ejus testimoniis utilitas percipi potuit.

L. III, c. XI. Pythagorae fere aequalis Xenophanes ob hoc solum memoratur quod de Homeri Hesiodiqué aetate disputavit et illum hoc priorem natu fuisse contendit. Nihil omnino de Eleatica philosophia apud Gellium : item de Ioniis siletur. Cur ea neglexerit causa sane fuit ejus ingenium magis ad narrationem quam ad indagationem pronum et leviorum rerum studium, quod in ejus aetate vigere solebat.

L. XV, c. XX. De Anaxagora hoc solum refertur Euripidem (1) ejus fuisse discipulum, cujus personae aeque ac doctrinis alludere poeta nonnunquam videtur (2) : de Empedocle, praeter versum de fabis supra relatum qui num vere ad Empedoclem pertineat et eam significationem habeat dubitatur (3), cum ad populi suffragia spectare posset, eum *in philosophiae naturalis studio* juxta tempora pugnae apud fluvium Cremeram floruisse. L. XVII, c. XXI, 14.

Hoc tamen testimonium quidam aiunt nimis tempore definitum et pauca de Empedoclis vita esse

(1) Cf. Cic., *Tusc.*, III, 14. — Grote, t. XII, p. 138.
(2) Zeller, t. II, p. 387.
(3) Zeller, t. II, p. 250. — Grote, t. XII, p. 157.

cognita (1). Nullam facit mentionem de commercio quod creditur fuisse Empedocli cum quibusdam pythagorei collegii philosophis nec de eo studio quo mysticam Pythagorae orationem imitabatur ac miracula affectabat (2).

2° *De Democrito et Epicuro.*

Plura dicit de Democrito. Vixisse eum ait « circa annum fere post conditam Romam trecentesimum vicesimum tertium ; » a Gellio alii dissentiunt qui annos quibus natus et mortuus est Democritus incertos esse asserunt (3). L. XVII, c. XXI, 18.

Refert quomodo et qua causa Democritus semetipsum *luminibus oculorum privasse* tradatur, quo melius intenderet animum aut, si Laberio fides est habenda, ne florentes malos cives videret. Quae historia vera an falsa sit non perpendit dum conjici potest cum probatissimis auctoribus (4) eam ex illis quae de sensuum erroribus cogitabat Democritus desumptam esse. L. X, c. XVII.

Auctore Democrito, tibiarum sonus nonnullis morbis remedio est : « Tanta prorsus, inquit Gellius, affinitas est corporibus hominum mentibusque et propterea vitiis quoque aut medelis animorum et L. IV, c. XIII, 4.

(1) Zeller, t. II, p. 199, 200.
(2) Grote, *ibid.*
(3) Vide Zeller, t. II, p. 281.
(4) Mont., *Essais*. II, VI, XII. — Cic., *De Fin.*, V, 29, illam historiam pro vera accipiunt. Vide contra Zeller, t. II, p. 284.

corporum. » Hoc quidem verisimilius est quam quod scripsit tibias scite modulatas *viperarum morsibus*
L. IV, c. XIII, 2. *mederi*; quippe cum venenum, mente etiam tranquilla, sanguinis cursu per venas intromissus serpere pergat. Ea quidem sine ulla animadversione Gellius colligit, Theophrasto majorem fidem dare possumus asserenti lenibus tibiae modulationibus
L. IV, c. XIII, 1. podagrae minui dolores, cum animus a sensu doloris ad voluptatis sensum avertatur (1). Ea nempe est vis animi et imaginandi facultas ut persaepe corporis dolores modo mulcere, modo augere vel etiam excitare possit. Exemplo uti licet, inter multa alia, quod de nobili aetatis nostrae scriptore refert philosophus in primis observator et experimenti sectator, qui, cum mulieris quae venenum bibisset mortem depinxisset, ita fuit affectus ut omnia quae veneni potionem sequuntur passus sit (2).

Negat tamen Democrito, nobilissimo philosophorum, attribui posse multa de prodigiis ac portentis dicta quae Plinius, ut supra vidimus, aliique in ejus libris legisse se dicunt, creditque ab iis illa *commenta in Democriti nomen data nobilitatis auctoritatisque*

(1) Montanus alio exemplo idem fere concludit : « Un gentilhomme des nostres, merveilleusement subject à la goutte, estant pressé par les medecins de laisser du tout les viandes salees, avait accoustumé de respondre plaisamment que « sur les efforts et torments du mal, il vouloit avoir à qui s'en prendre et que s'escriant et mauldissant le cervelat, tantost la langue de bœuf et le jambon, il s'en sentoit d'autant allégé » (l. I, c. IV).

(2) Taine. *De l'Intelligence*, l. II, c. I, § 3 et *passim*.

ejus perfugio utentibus. Philosophiae historico (1) nobili, qui Gellii opinionem probat, assentior. L. X, c. XII, 8.

Democriti opinionem de voce refert qui « eam ex individuis corporibus constare dicit et ῥεῦμα λόγων appellat, » adjicitque Gellius tales quaestiones nullo modo *ad rationem vitae pertinere*, ideoque esse negligendas, quod congruit cum ejus ingenio rei moralis in primis studioso : hoc quoque nobis notandum videtur Democritum Empedoclis modo vocem et visum explicavisse (2). L. V, c. XV, 8.

Epicurum quoque reprehendit quod huic vanae quaestioni studuisset et visum *simulacris* e corporibus *affluentibus* et in oculos sese *inferentibus* effici credidisset (3) : quas omnes conjecturas, ut antea diximus, philosopho esse utiles negat Gellius. L. V, c. XVI, 3.

Bonarum artium fautor praesertim et vindex, definitionem rejicit qua Epicurus voluptatem *summum bonum* ponit, eique Tauri et Hieroclis stoici melior videtur sententia dicentium : Ἡδονὴ τέλος πορνῆς δόγμα. Gellius hic, magistros suos secutus, non videtur veram opinionem Epicuri perpexisse quae melius hodie intelligitur (4). L. IX, c. V, 8.

(1) Zeller, t. II, p. 283.

(2) Cf. Zeller, t. II, p. 334.

(3) Cf. Cic., *De Fin.*, I, 6.

(4) Cf. Mont., l. II, c. XII; l. II, c. XXXVIII; cf. Denis, *op. laud.*, t. I, p. 265 : « Le terme du plaisir ou la volupté est donc l'absence de toute douleur et de toute inquiétude, ou plutôt l'état plein de paix et de charme qui en résulte. » — « La modération et l'amitié, voilà tout l'épicurisme » (*Ibid.*, p. 284). — Vide quoque : Guyau, *La morale d'Epicure*; Léon Dumont, *Théorie scientifique de la sensibilité*.

Causam tamen Epicuri, ut supra demonstravimus, contra Plutarchum agit pro usu verbi quod sensum promit lucidum et pro *forma* et *ordine* syllogismi,
L. II, c. VIII. specie imperfecti, re tamen plane concludentis. Notanda apud Gellium est illa certi et compositi ordinis contemptio qui aridam et jejunam admodum ratiocinationem efficit, cujusque causa recentiores philosophi syllogismum repudiare voluerunt cum alii strictioribus argumentis eum nihil per se valere contenderunt nisi jam probetur quod generaliter sumptum est.

3° *De Sophistis.*

Democriti ait, quod recte refellitur (1), discipulum
L. V, c. III. fuisse Protagoram, quem narrat a *bajulo* philosophum *in studiis doctrinarum egregium* evasisse : lepideque refert quomodo eum sibi adhibuerit socium Democritus (2) : sed ficta esse creditur narratiuncula. Artem ceterum sophisticam non densis et ordinatis argumentis refellit, cujus in primis fuit magister Protagoras, nec explanat qua ratione et causa de Democriti fontibus ille suam deverterit disciplinam (3) cum Gorgias ab eleaticis principiis (4) suam hause-

(1) Zeller, t. II, p. 465, contendit hoc non congruere cum aetatis diversitate et in Protagorae doctrina nullum Democriteae philosophiae indicium contineri.

(2) Mont., l. II, c. XVII.

(3) Zeller, t. II, p. 464.

(4) Ritter, *Hist. anc.*, t. I, p. 504; cf. Grote, XII, p. 158, qui Gorgiam Empedoclis discipulum fuisse dicit.

rit ; ac quomodo alius alia via ad similem fere conclusionem pervenerit. Plerumque enim non curat de iis quae ad metaphysica attinent.

Protagorae exprobrat quod *insincerus* fuerit *philosophus* et *sophistarum acerrimus*, dein, quod *pecuniam ingentem a discipulis acciperet annuam* (1), postremo quod, pecuniae mercedem, se id docere polliceretur *quanam verborum industria causa infirmior fieret potior* (2), qua de re Gellius et Aristoteles conveniunt (3), priorem vero accusationem sinon falsam, amplificatam saltem fuisse quidam contendunt (4). L. V, c. x, 3.

Narrat quoque quomodo Protagorae parsimoniam unus e discipulis, Evathlus quidam, argumento reciproco, luserit quod Graeci ἀντιστρέφον dicunt : contra enim ipsum qui eo usus est *referri* potest et utrinque pariter valet. Haec historia jucunda sane et ingeniosa aliis (5) videtur, aliis non verisimilis quod eadem de Corace et Tisia narratur (6), quodque enodabilis forte quaestio fuit iis similis quas pro exemplo discipulis suis sophistae proponere solebant (7). L. V, c. x, 3.

Alius sophista, Prodicus Ceus, cujus fabula de L. XV, c. xx, 4.

(1) Cf. Zeller, t. II, p. 463, 490.

(2) Cf. Cic., *In Brut.*, VIII ; *Acad.*, II, 23. — Fouillée, *Phil. de Socrate*, t. II, p. 251.

(3) Cf. Zeller, t. II, p. 532.

(4) Zeller, *l. l.*

(5) Grote, t. XII, p. 186. — Montan., l. I, c. xxiv.

(6) Zeller, t. II, p. 463.

(7) *Id.*, *ibid.*

Hercule nobilis est (1), memoratur tantum inter Euripidis magistros (2), cum Anaxagora (3) et Socrate, at rhetor vocatur (4). Gellius enim inter so-
l. XVII, c. v, 3. phistas distinguit philosophos et rhetores. Sic « rhetoricus sophista, haud sane ignobilis ex istis argutulis et minutis doctoribus » traditur argumentum quoddam Tullii reprehendisse. Alias mentionem facit sophistae ignari temporum quibus clari et nobiles viri vixerint, cujus errore impulsus est ut tabulam quam-
l. XVII, c. XXI dam, pro aetate cujusque, clarorum virorum ipse componeret. Nullam Gellius aliorum discipulorum Prodici facit, Damonis scilicet, Theramenis, Isocratis. Prodici alioquin et Socratis discipulum fuisse Euripidem negat philosophiae graecorum historicus quamvis cum iis commercium habere potuerit (5).

Quantum sophistis esset infensus multis in locis
l. XVII, c. XII. Gellius ostendit (6) : *infames materias* eos adortos esse dicit, refert quomodo eos refelleret Socrates,
l. XVIII, c. IV, 1. quibusque verbis sub Calliclis persona *vere ingenue-*
l. X, c. XXII, 1. *que* eos prosecutus sit Plato : qua re ipsi monendi sumus « ne inerti inanique desidia cultum et studium

(1) Cic., *De offic.*, I, 32.

(2) Cic., *Tusc.*, III, 14. — Contradicit Zeller, t. III, p. 15 et 20; cf. Denis, t. I, p. 52.

(3) Vide Zevort, *Dissertation sur la vie et la doctrine d'Anaxagore*, p. 24, 26.

(4) Nullam aliorum Prodici discipulorum mentionem facit Gellius (Zeller, t. II, p. 470).

(5) Vide Zeller, *l. l.*

(6) Vide Zeller, t. II, p. 540, 541. — Grote, t. XII, p. 169 ; cf. Janet, *Hist. de la science politique*, 3e édit., t. I, p. 67, 68. — Fouillée, *Philos. de Socrate*, t. II, p. 344. — Condillac, *Hist. anc.*, t. X, p. 154.

philosophiae mentiamur. » *Cum graecorum sophistarum solertiis* argumenta *parum honesta et nimis audacia* comparat. Unde etiam apparet quantum veritati et morali rei studeret, et simul quam falsam sophistarum imaginem sibi effingeret, qui nunc rectius judicantur. L. X, c. xxII, 2. L. VI, c. III, 34.

4° *De Socrate.*

Philosophiae quae est de vita et moribus (1) vulgatum est praeceptorem fuisse Socratem et acerrimum sophistarum adversarium : parum tamen de ejus doctrina disserit Gellius nec quam grandis natu esset cum docendi professionem instituerunt sophistae quaerit (2). *Facetissimae* tantum *dissimulationi* alludit qua ad eos utebatur, quaque Apollinaris Sulpicius jactantiorem quemdam irrisit. L. XVIII, c. IV.

De modo vivendi Socratis plura dicit quam de doctrina. Memorat qua patientia Xantippes uxoris ferret contumelias (3) quo facilius, ut Alcibiadi respondit percontanti *cur tam acerbam mulierem domo non exigeret*, ceterorum injurias toleraret (4) ; qua forti- L. I, c. xvII, 11.

(1) Cf. Cic., *Tusc.*, III, 4 : « A Socrate omnis quae est de vita et moribus philosophia manavit. »

(2) Vide Zeller, *op. cit.*, t. III, p. 54.

(3) Mont., l. II, c. XI : « Epaminondas... refuse des richesses que la fortune luy met en main par une voyę tres legitime, pour avoir (dict il) à s'escrimer contre la pauvrete, en laquelle extreme il se mainteint tousjours. Socrates s'essayoit, ce me semble, encores plus rudement, conservant pour son exercice la malignité de sa femme, qui est un essay à fer esmoulu. »

(4) « Socrates respondit à Alcibiades s'estonnant comme il pouvoit

tudine labores et exercitia pateretur, quoque modo
L. II, c. I, 3. saepius *perdius ac pernox* « a summo lucis ortu ad orientem solem alterum » eodem statu et loco immobilis desisteret (1); qua temperantia, cum *se bibere atque*
L. XIX, c. II. *esse* diceret *ut viveret*, cum multi contra *vellent vivere ut biberent et ederent*, corpus suum adversus morbos munivisset, quo factum est ut per illam Atheniensium pestilentiam, communem cladem innoxius effugerit.

L. XII, c. IX, 6. Refert quoque hanc ejus sententiam pejus esse injuriam facere quam pati et inter titulos octavi libri hoc inscribitur : « Quam festive responderit Xantip-
L. VIII, c. XI. pae uxori Socrates petenti ut per Dionysia largiore sumptu cenitarent. » Verecundiam ejus patefacit qui *in quadam parum pudica oratione pallio caput* operuit.

Quae cuncta, quamvis brevius, quam ut digna essent verae philosophiae moralis patre, relata sint, admirationem et venerationem Gellii erga Socratem manifestam faciunt (2). Desideratur tamen apud eum diligentior exquisitio dictorum et factorum Socratis quae inconsulto accipit : quod ad hoc propositum attinet, ad varia recentiorum temporum de persona Socratis (3) judicia revocare satis est et auctoribus

porter le continuel tintamarre de la teste de sa femme, comme ceulx qui sont accoustumes à l'ordinaire bruict des roues à puiser l'eau » (Mont., l. III, c. XIII).

(1) Hoc factum admitti posse ait Zeller, t. III, p. 77, et temporibus pugnae ad Delium evenisse, quod asserit Philopon.

(2) Cf. Mont., l. III, c. XIII ; I, c. XI.

(3) Nourrisson, *Pensée humaine*, p. 38-41. — A. Lemoine, *L'âme et le corps*, p. 279, 281, 291. — Fouillée, *Philosophie de Socrate*, t. II, p. 269.

assentiri qui inter ea medium quoddam tenent (1).

5° *De Socratis discipulis.*

Ex illa quam vocat Socratis *cohortem* (2), praeter L. II, c. XVIII, 1.
Euripidem, de quo supra diximus, nominantur Aristippus, Euclides Megarensis (3), Phaedon Elidensis quem, illo hortante, redemit Cebes.

Utriusque Euclidis, megarici philosophi et alexandrini geometrae mentionem facit Gellius : hujus citatur lineae definitio brevior quam Varronis; illius L. I, c. XX, 9.
narrat solertiam qua, spreto Atheniensium decreto, Socratem adibat « ut vel noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque ejus fieret particeps. » Quo L. VI, c. X, 4.
exemplo supra vidimus Taurum, ut discipulos ad philosophiam excitaret, uti esse solitum. Hanc historiam alii absurdam (4), alii contra non omnino incredibilem esse putant (5), ad quos, mea quidem sententia, inclinare decet.

Aristippi, qui duas solum res a Socratis disciplina servare videtur, liberi arbitrii amorem et earum rerum studium quae ad mores pertinent (6), tradit Gellius

— Egger, *La parole intérieure.* — Zeller, t. III, p. 91, 103. — Lelut, *Le démon de Socrate.*

(1) P. Janet, *La science politique*, 3ᵉ édit., p. 76, 81, 89. — Boutroux, *Socrate moraliste et croyant*; cf. Zeller, t. III, p. 91, 103.

(2) Cf. Cic., *De Orat.*, III, 16, 17.

(3) Cf. Cic., *Acad.*, II, 42; cf. Ritter, *Hist. phil. anc.*, t. II, p. 108. — Renouvier, *Man. hist. de la phil. anc.*, t. II, p. 3.

(4) Grote, *op. cit.*, t. XII, p. 242.

(5) Zeller, t. III, p. 229.

(6) Denis, *op. l.*, t. I, p. 258.

responsum nebuloni cuidam interroganti cur in tem-
L. XIX, c. I, 10. pestate timeret cum ipse nihil metueret, dicentis *se pro Aristippi anima timere,* illum *pro anima nequissimi nebulonis non magnopere esse sollicitum* : quod superbo simul ac delicato ingenio Aristippi (1) non repugnat.

L. II, c. XVIII, 1. Phaedon Elidensis inter philosophos qui servi fue-
L. II, c. XVIII, 4. runt citatur quem Cebes *in disciplinis philosophiae*
L. II, c. XVIII, 5. *aluit,* quique *de Socrate elegantes admodum sermones* scripsit, qui Gellii temporibus legebantur. Num tamen libris Phaedonis nomine designatis fides habenda esset, jam dubitaverat, ut aiunt, Panaetius (2). Occasionem capit, ut commentandi mos ejus fuit, alios enumerandi : servierunt quoque Pompylus Theophrasto, Perseus Zenoni, Mys Epicuro; item Menippus (3) cynicus, satirarum scriptor, quas aemulatus
L. II, c. XVIII, 6, 7, 9. est T. Varro; Diogenes, qui *ex libertate in servitutem venum ierat,* cujus superbum illud et nobile Xeniadi
L. II, c. XVIII, 10. responsum refert Gellius : « Novi hominibus liberis

(1) Mont. : « Aristippus disoit le principal fruict qu'il eust tiré de la philosophie estre qu'il parloit librement et ouvertement à chascun » (*Essais,* l. II, ch. XVII, p. 101. Vide multa lepide dicta Aristippi, l. II, c. XII, p. 326; cf. Zeller, *Phil. des Grecs*, t. III, p. 305-308. — Ritter, *Hist. phil. anc.*, t. II, p. 72-74.

(2) Cf. Zeller, *op. cit.*, t. III, p. 256.

(3) Mommsen, *Hist. rom.*, t. VIII, p. 252 : « Ménippe, vrai coryphée littéraire d'une secte dont toute la sagesse consiste à nier la philosophie même, à bafouer ses adeptes, à pratiquer enfin le cynisme de Diogène. Professeur bouffon d'une doctrine après tout sévère, ce même Ménippe avait enseigné, par des exemples assaisonnés de boutades moqueuses, qu'en dehors de la vie honnête, tout n'est que vanité ici-bas et là-haut, mais que rien surtout n'est plus vain que les querelles des prétendus sages » (Vide Lucian., *passim.* — Zeller, *op. cit.*, t. III, p. 265-266.)

imperare (1); » Epictetus postremo qui, pauper et claudo pede, fortunae bona sicut aliena spernebat, tyrannorum fasces et potentiam contemnebat, qui negabat omnino *exosos esse diis* qui aerumnis in hac vita afflictantur (2), quem pleno ore laudat, ne illa quidem excepta superbia quae postea *diabolica* dicta fuit (3).

Quanquam cynicos sui temporis abhorret, qui sane a veterum consuetudine deflexerant, laudat ex Socraticis Antisthenem quod voluptatem esse solum malum dixit et exclamavit : μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην (4). Illo L. IX, c. v.
etiam et Diogene digna ei videntur verba quibus *morosus* quidam et *intractabilis*, praesente Favorino, L. XVIII, c. VII.
philosophos rebus inanibus, tanquam mulierum vocibus praeficarum, studentes prosequitur (5). Apud Antisthenem Gellius animi libertatem, severam vivendi rationem, serenam in omnibus vitae vicibus constantiam admirari debebat (6), nec oblivisci ab illo honestum sicut finem propositum (7) et operae ac laboris virtutem praedicatam fuisse (8).

Nobilissimi inter cynicos Diogenis (9) responsum prodit quo platonici cujusdam sophisma redarguit, L. XVIII, c. XIII.

(1) Cf. Zeller, *ibid.*, p. 262-263.
(2) Cf. Martha, *Moral. sous l'empire romain*, p. 41.
(3) Pascal, *Entretien avec Saci.*
(4) Cf. Mont., *Essais*, l. II, c. II.
(5) Vide supra.
(6) Cf. Zeller, *l. l.*, t. III, p. 267.
(7) Cf. Denis, *op. cit.*, t. I, p. 307.
(8) Cf. *ibid.* — Cf. Janet, *op. cit.*, t. I, p. 135.
(9) Cf. Zeller, *op. l.*, t. III, p. 304.

reciproco quasi argumento usus, et tantum cyrenai-
L. IX, c. IV. cus Hegesias (1) cynicusque Onesicritus (2) *scriptores veteres non parvae auctoritatis* dicuntur.

6° *De Xenophonte et Platone ejusque successoribus.*

L. XIX, c. III. *Socraticae* vero *amoenitatis lumina* fuerunt Xenophon (3) et Plato : inter quos negat Gellius simulta-
L. XIX, c. III, 1. tem eam fuisse cujus *conjectoria argumenta* multi scriptores prodiderunt. Haec hujusmodi sunt : primum, nec Plato de Xenophonte nec de Platone Xenophon mentionem in libris suis fecit, quamvis uterque,
L. XIX, c. III, 2. praesertim ille, *complurium Socratis sectatorum commeminerit;* deinde, quod sinon inimicitiae parum saltem sincerae amicitiae *indicium* est, Xenophon
L. XIX, c. III, 3. primos Platonis libros (4), qui *de optimo statu reipublicae civitatisque administrandae* in vulgus editi sunt, redarguit contraque eos librum, cui Cyropaedia (5) titulus est, scripsit : Plato autem, cum in libro quodam Cyri meminisset, eum strenuum quidem fuisse sed disciplinis privatum, Xenophontis operi illudens, dixit : denique Xenophon, ut aiunt, Socratem rei mathematicae studuisse negavit qua contra discipulis suis interdixit : idcirco *turpiter eos*

(1) Cf. Cic., *Tusc.*, t. I, p. 34.

(2) Ritter, *Phil. anc.*, t. II, p. 107.

(3) Paulum ad philosophiae philosophiam attinet Xenophon (Zeller, t. III, p. 224).

(4) Vide Denis, t. I, p. 136. — Janet, *op. cit.*, t. I, p. 140.

(5) Janet, *ibid.*, t. I, p. 100.

mentiri Xenophon contendit qui *dissertationes istiusmodi* ei attribuerent (1) hisque verbis Platonem plane designat.

Quae omnia non arbitratur Gellius originem ex invidia ac simultate habere : *haec enim procul a moribus philosophiae absunt in quibus illi duo omnium judicio excelluerunt.* L. XIX, c. III, 7. Credit autem similitudinem virtutum et paritatem nescio quid aemulationis parere qua nixi utriusque sectatores ac *fautores* de fama et L. XIX, c. III, 9. laude eorum contentiones inter se instituunt et philosophos ipsos eumdem finem ardenter prosecutos *in aemulandi suspiciones non suo sed faventium studio* L. XIX, c. III, 10. dilabi. Quo factum est ut eminentia illa ingenia *certare aemularique inter sese* existimata sint, quippe L. XIX, c. III, 11. cum magni viri, cum simul idem terant iter, *simulacrum quoddam contentionis* praebeant. L. XIX, c. III, 11.

Xenophontis tantummodo *dictorum atque factorum Socratis commentarios*, praetermissis ceteris nisi Cyro- L. XIX, c. III, 5. paedia, memorat Gellius : ceterum animadvertitur Xenophontem ad philosophiae historiam paulum attinere (2). Plura vero e Platonis scriptis excerpuntur quorum jam Phaedrum et Symposium in Tauri vituperatione erga adolescentes suae aetatis habita vidi- L. I, c. IX, 8, 9. mus. Platonem enim propter Tauri et Favorini familiaritatem multum legere debuit : ex iis quae de eo retulit haec notanda sunt. Quae vero eorum ipse

(1) Diog. Laert., t. II, c. VI, p. 57; t. III, p. 34. — Chaignet, *Vie et écrits de Platon*, in-12, 1871, p. 46, 361. — Ritter, *Hist. phil. anc.*, t. II, p. 130-133. — Zeller, t. III, p. 92-98, 166-172.

(2) Cf. Zeller, t. III, p. 224. — *Ibid.*, 219-225.

legerit, quae ex memoria tantum exposuerit, quaeque e scriptis Platonis vel ab aliis receptas citaverit, alias jam disputata (1) nec ad meum propositum pertinentia omittam.

L. XVII, c. XXI, 29. In disquisitione temporum, quibus vixerint viri vel ingenio vel imperio nobiles, Platonem dicit Gellius paucis annis post annum Urbis conditae quadringentesimum *ad Dionysium Siciliae tyrannum posteriorem* profectum fuisse, ideoque ipse incertum annum relinquit. Alias Phaedonem refert Elidensem (2), *cujus nomini librum illum divinum de immortalitate*
L. II, c. XVIII, 1, 2. *animae dedit*, *perfamiliarem* ejus fuisse, eumque, Hermippo auctore, ab oratore Demosthene admodum
L. III, c. XIII, 1. adolescente saepius auditum (3).

Expromit *distichon* quod veteres scriptores Platonis
L. XIX, c. XI. esse affirmant, quo *ille philosophus tragoediis faciendis* praelusit (4), valde amatorium et ejus imitationem pluribus versiculis explicitam quam cuidam ex amicis adolescenti attribuit. Nonne ille amicus ipse Gellius est? Nihil mirum esset, cum existimari liceat eum saepissime sub alia persona et nomine sententiam suam expressisse. Ceterum conatus est a Tauro incitatus in latinam linguam graeca platonici Symposii verba de amore laudando vertere, *sicut quaedam animalium parva et vilia ad imitandum sunt*
L. XVII, c. XX. *petulantia* : quae translatio sane elegantia quadam

(1) Cf. Mercklin, *op. cit.*
(2) Cf. Zeller, t. III, p. 256.
(3) Cf. Cicer., *De clar. or.*, 31. *Orat.*, 4.
(4) Cf. Ritter, *Hist. ph. anc.*, t. II, p. 127.

et vi non caret. Hoc etiam titulo unum e libri perditi
capitibus inscribitur : « Quid mihi usu venerit inter-
pretari et effingere volenti locos quosdam platonicos
latina oratione : » difficillimam nempe Platonis esse L. VIII, c. VIII.
imitationem constat, et Favorinus recte dixit : « Si
ex Platonis oratione verbum aliquod demas mutesve
atque id commodatissime facias, de elegantia tamen
detraxeris (1). » Addit alias *ad ipsa Platonis pene-* L. II, c. V.
tralia ipsarumque rerum pondera et dignitatis esse
pergendum nec *ad vocularum ejus amoenitatem nec*
ad verborum venustates diversitandum. Gellio tamen L. XVII, c. XX, 6.
libuit propriis verbis argumentationem referre qua,
in Gorgiae dialogo (2), *veritatis homo amicissimus*, L. X, c. XXII, 1.
ejusque omnibus exhibendae promptissimus Plato, sub
persona, non proba quidem, Calliclis, eos insectatur L. X, c. XXII, 24.
qui desidiam et ignaviam suam nobili philosophiae
nomine dissimulant. Eam sententiam Platonis mag-
nopere approbat, sensu plenam et sapientia. De ea
enim philosophia non agit in hoc loco quae virtutes
docet et in privatis publicisque officiis versatur ac
reipublicae constantes viros et administratores prae-
bet, sed *de ista futili atque puerili meditatione* argu-
tiarum quae *nihil ad vitam neque tuendam neque*
ordinandam pertinet, cuique studentes *consenescunt*
isti quos et Callicles et vulgus immerito philosophos
appellat. Sic semper Gellius se praebet, ut jam dixi- L. X, c. XXII, 24.
mus, rei moralis inprimis studiosum.

(1) Cf. Cic. : « Longe omnium quicumque scripserunt aut locuti sunt exstitit et suavite et gravitate princeps Plato » (Orat., 19).

(2) *Id.*, *ibid.*, I, II.

In Gorgia Platonis illa quoque exponitur divisio, qua ad duo genera ulciscendi rationes redegit : quorum unum corrigendi, alterum exempli edendi finem habet (1). Quaerit Gellius num tertium punitionis genus, quo ejus defenditur dignitas qui laesus fuerit, Plato omiserit propterea quod *de poenis post vitae tempus capiendis* scriberet, et in medio quaestionem
L. VII, c. XIV. relinquit (2).

De voluptate diversa ait sensisse Platonem, prout earum rerum, quas tractabat aut demonstrare volebat, postulabat natura : ideo fit ut ab ejus sententiis variae admodum opiniones pendere videantur (3). Cum Chrysippo de bonis et malis in eo consentit quod *alterum ex altero verticibus inter se contrariis*
L. VI, c. I. *deligatum* esse existimat : *si tuleris unum, abstuleris utrumque*. Ad ea referri possunt quae de febris laudibus, auctore Favorino, scripsit, cum contenderet eum, *qui quartanam passus convaluerit viresque integras recuperaverit, fidelius constantiusque postea*
L. XVIII, c. XII. *valiturum*.

(1) Vide supra. Cf. Mont. : « C'est un usage de nostre justice d'en condamner aulcuns pour l'advertissement des aultres. De les condamner parce qu'ils ont failly, ce seroit bestise (comme dict Platon), car ce qui est faict ne se peut desfaire, mais c'est a fin qu'ils ne faillent plus de mesme ou qu'on fuye l'exemple de leur faulte : on ne corrige pas celui qu'on pend, on corrige les aultres par luy » (*Essais*, l. III, c. VIII).

(2) Cf. Denis, *op. cit.*, t. I, p. 102, 106, 136.

(3) Cf. Mont., *Essais*, l. II, c. XII : « Voyez demener et agiter Platon : chacun, s'honorant de l'appliquer a soy, le couche du costé qu'il le veult : on le promeine et l'insere à toutes les nouvelles opinions que le monde receoit et le differente lors à soy mesme, selon le different cours des choses. »

Laudat eum Gellius, Epicurum excusans, quod in multis locis ordinem *qui in dicendo traditur* syllogismorum non semper observaverit (1). Contumeliosam quoque Timonis (2) accusationem refellit breviter qua Plato pythagoricum quemdam librum emisset unde Timaeum hausisset suum (3), dicens eum *tenui admodum pecunia familiari fuisse* : quam quidem pecuniam aiunt quidam illi a Dione Syracusano fuisse donatam (4). L. II, c. VIII. L. III, c. XVII, 5. L. III, c. XVII, 1. L. III, c. XVII, 2.

Cretico quodam, qui se *platonicum* dicebat, ebriositatem (5) suam nonnullis de ebrietate in libro de Legibus inscripto dictis excusante, negat eum *ebrietatem istam turpissimam* laudavisse, sed ea quasi exercitio uti sivisse dicit, ne ignota voluptas *mentem animumque* primo ictu concutiat, arbitratum oportere cum voluptate sicut hoste hominem *cominus decernere, moderato usu temperantiam constantiamque tueri, animumque refovere et tristitiam verecundiamque torpentem* exuere. L. III, c. XVII, 4. L. III, c. XVII, 8.

His verbis, e Tullio excerptis, Platonem jam animadvertisse demonstrat qua vi arcana corpus animum urgeat : « Iubet, ait, Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis ut nihil sit quod errorem animis perturbationemque afferat. » Immerito vero reprehendit Erasistratus quod dixisset *potum defluere ad pul-* L. IV, XI.

(1) Vide supra.
(2) Cf. Mont., l. II, c. XII.
(3) Cf. Ritter, *op. cit.*, t. II, p. 128, 129. — Cic., *De Rep.*, I, 10.
(4) Cic., *De off.*, I, 44.
(5) Mont., l. II, c. II.

monem eoque satis humectato dimanare per eum, quia
L. XVII, c. XI, 1. *sit rimosior, et confluere inde in vesicam* : cujus opinionis, si Plutarcho creditur, auctor fuit Hippo-
L. XVII, c. XI, 1. crates.

In hoc tamen Gellius Platonem errare ait quod
L. XII, c. XVIII. Euripidis esse dixerit in Theaeteto *notae vetustatis* versum, cum contra in Ajace Locrio, Sophoclis fabula, reperiatur, qui prior natu fuit Euripide.

Tradit quoque quae de voce et visu censuerit : credebat vocem incorpoream esse nec tantummodo aerem esse percussum, sed aeris percussionem, nec id solum, quippe cum, moto digito, non producatur
L. V, c. XV, 7. sonus, sed oportere ut trepida et fortis sit percussio illa et ea quae audiri possit. Visus hanc profert rationem et causam, scilicet e nostris oculis *ignis lucis-*
L. V, c. XVI, 4. *que genus quoddam exire*, quod cum luce solis vel alia conjunctum, sua cum externa vi mixta, efficiat ut cernamus ea quae illustraverit. His omnibus relatis satis indicat Gellius quantum physicarum rerum curiosus fuerit.

Supremam horam nec mortis nec vitae esse credebat Plato : quo argumento, quoties de contrariis ambigebatur, usus est, quorum si alterutrum, cum uno desinente alterum incipiat, apprehendas, necesse est ut contradicatur. Cum igitur difficillimum sit mortem et vitam, quarum alteram altera secludat, in unum componere, aliquid subjecit medii quod ipse, ut supra
L. VII, c. XIII. diximus, τὴν ἐξαίφνης φύσιν, in libro de Parmenide, appellat. Alias ipse Gellius ait idem esse *quoad vivet* et *quoad morietur*, hoc argumento utens quod, cum

alterius rei finis cum alterius initio concinat, non refert quomodo demonstretur. L. VI, c. XXI.

Ex quaestionum certationibus quibus Saturnalia Athenis agitare cum amicis solebat, haec citatur, *quonam modo audiri atque accipi deberet quod Plato in civitate, quam in libris suis condidit, communes esse mulieres* censuerit. *Libris coronisque* donatos fuisse dicit qui hanc quaestionem explanaverunt nec tamen indicat quomodo eam solverint. L. XVIII, c. II.

Hic narratoris magis quam indagatoris personam agit Gellius et res leviter praestringit. Non vidit, aut saltem non vidisse videtur, *civitatem quam condidit in libris suis* Plato non omnibus partibus fictam esse, L. XVIII, c. II. sed instar Cretae et Lacedaemonis compositam, quod nostri aequales demonstraverunt (1) : hoc quoque recte dictum fuit Platoni visum esse civem ad civitatem non civitatem ad cives factam fuisse (2).

Omnibus notum est Platoni successisse Spensippum (3), cujus post mortem Aristoteles traditur *pauculos libros tribus talentis atticis emisse* : de ejus doctrina hoc solum apud Gellium invenitur : eo auctore L. III, c. XVII, 2. *et vetere omni Academia*, voluptas et dolor *duo sunt mala inter sese opposita*, bonum est quod *utriusque medium est* (4). Nihil omnino de Xenocrate et L. IX, c. V, 4. Polemone, cujus Valerius Maximus (5) historiam

(1) Janet, *op. cit.*, t. I, p. 140.
(2) Denis, *op. cit.*, t. I, p. 136.
(3) Cf. Ritter, t. II, p. 391.
(4) *Id.*, *ibid.*, p. 397; cf. Cic., *Ac.*, II, 42; *Tusc.*, V, 18; *De fin.*, IV, 6.
(5) Val. Max., VI, 9; cf. Mont., l. II, c. XVII.

narrat, aliisque veteris Academiae philosophis dicit.

7° *De Aristotele.*

L. XIX, c. v, 3. Aristoteles dicitur philosophus *rei omnis humanae peritissimus et sapientissimus vir* (1) : qui natus est L. XVII, c. XXI, 25. eo anno qui fuit *post reciperatam a Senonibus urbem septimus*, et mortuus, sicut Demosthenes, *iisdem ferme* L. XVII, c. XXI, 35. *temporibus* quibus *apud Caudium* à Samnitibus Romani *sub jugum missi sunt* : quae annorum digestio non omnino exacta videtur et a vera computatione paululum distat.

Pauca ex Aristotelis libris Gellium legisse conjici potest, nonnulla tamen citavit illius philosophi quem, ut aiunt, breviter complecti difficile est (2).

L. XIII, c. v. Lepide narrat quomodo ille, senior jam et *spe vitae tenui* aegrotans, *obsecrantibus* discipulis, successorem suum designaverit, quibusque causis Eudemo (alii non recte Menedemo dicunt) (3) Theophrastum praetulerit.

L. XX, c. v, 1. Commentationibus Aristotelis *duas species* fuisse ait, quarum varias partes, omnibus notas, referre hic inutile est (4). Libris tamen *acroaticis* vulgo edi-

(1) Cf. Cic. : « Peripateticorum princeps Aristoteles quem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum » (*De fin.*, V, 3). « Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) praestans et ingenio et diligentia... » (*Tusc.*, I, 10).

(2) Denis, *op. cit.*, t. I, p. 191.

(3) Cf. Edd. Tauchn.-Panckoucke. — M. Hertz, 1877-1883. — Ritter, *Hist. ph. anc.*, t. III, p. 329. — Zeller, *Phil. des Grecs.*

(4) Vide Ritter, *ibid.*, p. 10.

tis indignatus Alexander, si Gellio fides habenda (1), epistolam quam transcribit Gellius, suo praeceptori misit : qui autem respondit « eos neque editos esse neque non editos, quoniam, aiebat, iis solis qui nos audiunt cognobiles erunt (2). » L. XX, c. v, 7, sq.

Inter alia quorum facit mentionem opera, *libros de animalibus exquisitissime* composuisse dicitur Aristoteles; laudanturque ejus *physica problemata* in quibus multa lepide et eleganter disputantur : quorum tamen in undevicesimo libro exempla tradit non bene hoc respectu delecta (3). L. XIII, c. vii. L. XIX, c. iv, 1.

De numero tamen excipienda videtur Aristotelis de nive et aqua concreta opinio, quam *potu deterrimam* (4) esse et hominibus insalubrem contendebat, cujus rationem verbis ipsius Aulus refert. L. XIX, c. v.

In eodem libro asserit Aristoteles, quod postea dixit quoque Plutarchus, palmam gravissimis ponderibus obniti et curvatam mox resurgere. L. III, c. vi, 2.

Haec de iis motibus quos in corpore animi motus efficiunt : Polycrita, *nobilis femina Naxo insula*, *insperato gaudio* animam exspiravit : ruborem pu- L. III, c. xv, 1.

(1) Vide Ritter, *ibid.*, p. 10.

(2) Cf. Cic., *Fragm. Hortens.* : « Magna animi contentio adhibenda est in explicando Aristotele, si legeris, » et Mont. : « Aristote se vante en quelque endroit de l'affecter (l'obscurité) : vicieuse affectation ! » (l. III, c. ix.)

(3) In his quaerit quam ob causam eveniat ut, quibus invasit repentinus rei magnae timor, plerumque alvo statim cita fiant. — Mont., contra : « Il est certain que la peur extreme et l'extreme ardeur de courage troublent egalement le ventre et le laschent » (l. I, c. liv).

(4) Cf. Mont., *Essais*, l. III, c. ix.

dor, pallorem timor gignit (1); hujus rei causis quae Aristoteli videntur relatis, adjicit Gellius cum magistro suo eum non ultimam causam dixisse cur sanguis vel diffundatur vel contrahatur; itaque altissimas causas, quod est vere philosophi, interdum

L. XIX, c. vi. quaesivisse eum constat.

Ad naturalem philosophiam proprie spectant quae sequuntur : dixit Aristoteles *mulierem in Ægypto uno partu quinque pueros enixam, eumque esse finem multijugae hominum partionis, neque plures unquam simul genitos compertum, hunc autem numerum esse*

L. X, c. ii. *rarissimum*. Addit Gellius Caesaris Augusti ancillam

L. X, c. ii, 2. uno partu quinque pueros edidisse, sed pueros et illam non multo post mortuos. In libro de somno ait idem Aristoteles cuncta animalia tactu et gustu (2),

L. VI, c. vi, 2. nisi sint imperfecta, esse praedita.

Quod ad logicam attinet, cui Gellius, utpote rhetorum familiaris et academicorum, studere debuit, aristotelicam syllogismi definitionem sic ad verbum

L. XV, c. xxvi prope vertit : « Syllogismus est oratio in qua, consensis quibusdam et concessis, aliud quid quam quae concessa sunt, per ea quae concessa sunt, necessario conficitur. » Quod ad mores, haec quaestio

L. XX, c. iv. memoratur : cur ii qui Bacchi artes colunt male sint famosi? an quia minime rationi et philosophiae student? an quod aetatem in voluptatibus agunt et ali-

(1) Mont. : « Il paslit a la peur, il rougit à la honte » (l. II, c. ii).

(2) Cf. A. Lemoine, *L'âme et le corps*; *Apologie des sens*, p. 115, 117. — Herbert Spencer, *Princ. de psych.*, t. I.

quando in paupertate? quae duo vitiorum fontem et originem esse credit Gellius.

Quaedam quoque ex Aristotelis libro de memoria inscripto excerpta de causis *exuberantiae et interitus memoriae* (1), in libro Gelii octavo cujus manent tantum tituli, continebantur, quae suppleri vel conjiciendo non possunt. L. VIII, c. VII.

8° *De Peripateticis.*

Ex peripateticis quorum placita de virtute stoicis, Epicteti sententia, opponuntur, cujusdam aequalis sui mentionem facit *viri boni, bene docti et Aristotelis unice studiosissimi*, quo suadente ut nive abstineret, quod supra diximus, *bellum postea et odium nivi indixit*, dum amici *indutias cum ea varie factitabant*. Inde conjici potest quae fuerit ejus docilitas et simul pertinacia. L. IX, c. V, 2. L. IX, c. V, 10.

Inter alios Lycei sectatores non omittendus est Andronicus Rhodius ex quo Alexandri ad Aristotelem epistolam supra relatam excerpsit Gellius quique, jubente Sulla, Aristotelis Theophrastique opera primus recollegit et edidit. L. XX, c. V, 10.

Theophrastus, de quo jam diximus, *philosophorum peritissimus* (2) vocatur, cujus hae mirae sunt opiniones : *omnes in Paphlagonia perdices bina corda* L. XVI, c. XV. L. IV, c. XIII, 2

(1) Vide Ribot : *Les maladies de la mémoire.*

(2) Cic. : « Hic elegantissimus omnium philosophorum et eruditissimus » (*Tusc.*, V, 9).

L. VI, c. VIII, 2. — Cf. XVI, c. XIX. *habere* (1) et delphinos *amatores esse flagrantissimos*. Illis rebus simpliciter relatis se bona fide esse ostendit quam in praefatione profitetur.

Hoc titulo inscriptum erat sextum octavi libri caput : « cum post offensiunculas in gratiam redeatur, expostulationes fieri mutuas minime utile esse superque ea re et sermo Tauri expositus et verba ex
L. VIII, c. VI. Theophrasti libro sumpta. » Facile conjici potest Gellium pro moribus suis benevolam mentem in illis exhibuisse. Num liceat aliquando amico pro suo amico contra morem agere clarius et abundantius, teste Gellio, inquisivit Theophrastus quam Tullius : quaestionem enim de qua multum disputaverunt
L. I, c. III, 12. philosophi, Cicero *paucis tantum verbis delibavit*. Queritur tamen Gellius quod Theophrastus *generibus rerum summatim universimque utatur nec directum*
L. I, c. III, 22. *atque perpetuum distinctumque singulis rebus prae-*
L. I, c. III, 29. *ceptum expromat* (2) : unde apparet eum, quod ad vitae rationem spectabat, expressa et aperta monita requisivisse.

Alii ab illo citantur Aristotelici, Dicaearchus et
L. IV, c. IX, 4, 14. Aristoxenus, quatenus tantum de Pythagora testimonia ediderint, Heraclides Ponticus cujus in octavo libro desideratur *historia jucunda memoratu et mi-*
L. VIII. *randa*.

(1) Vide Ruske, *op. cit.*, p. 5.

(2) Cic. : « Parva, inquit, et tenuis vel turpitudo vel infamia subeunda est si ea re magna utilitas amico quaeri potest. » — *Tusc.*, V, 23. Cf. Renouvier, *Man. de phil. anc.*, t. II, p. 376 : « Sa morale fut peu sévère : il permit à l'homme un petit mal pour un grand bien. »

Peripateticus quoque fuit Critolaus (1), qui temporibus fere M. Catonis et punici belli cum Carneade academico et Diogene Stoico *ab Atheniensibus ad senatum populi romani legatus est*: qui voluptatem malum esse aiebat, quippe quae multa mala scilicet *injurias*, *desidias*, *obliviones*, *ignavias* pariat : cujus orationem *scitam et teretem* Rutilius et Polybius judicabant quique refert Demosthenem a legatis Mileto Athenas missis ingentem ut taceret pecuniam accepisse.

L. XVII, c. XXI, 48.

L. IX, c. V, 6.

L. XI, c. IX.

Illis et quibusdam superioribus locis videtur aristotelicorum gratiam aliquam, minorem tamen quam Epicureorum et stoicorum academicorumque apud Romanos fuisse. Recte enim conjicitur Critolai sermones saepissime tales fuisse quos romanae mentes assequi non possent et ideo factum esse ut minime e tribus illis atheniensium legatis pernotuerit (2). Ceterum ex omnibus disciplinis quae Romae fautores habuerunt, Stoici et Epicurei, ut non immerito dictum est, maximam auctoritatem adepti sunt quod simplicia praecepta et legibus similia tradebant (3).

9° *De Stoicis.*

Stoicae ergo disciplinae multa exempla exposuit Gellius, ejusque sectatores cum quadam admiratione nominavit. Sic jucundo illo cassitae apologo hoc mo-

(1) Vide Martha, *Et. mor. sur l'antiq.*, p. 90.
(2) Cf. Martha, *ibid.*
(3) Cf. Denis, *op. cit.*, t. II, p. 2.

L. II, c. XXIX. nitum vult ut aliena putemus *quae sunt extra nos ar-*
bitriumque nostrum, et ea tantum nostra esse quae a
nostra ipsorum voluntate pendent (1). Haec quoque
Metelli Numidici, *sancti viri*, verba laudat, cum stoi-
L. I, c. VI, 7. cis congruentia, quaeque *assidua lectione digna* exis-
timat Gellius non minus quam *quae a gravissimis*
philosophis scripta sunt : « His demum propitios deos
esse aequum est qui sibi ipsi non sunt adversarii :
immortales virtutem approbare, non adhibere de-
L. I, c. VI, 8. bent. »

Plane definiit quae sibi illa proposuerat philoso-
phia, scilicet *ethicam rem naturamque humani inge-*
nii virtutumque origines officiaque earum confinia
aut contraria, *morborum vitiorumque fraudes*, *ani-*
L. I, c. II, 4. *morumque labes ac pestilentias* (2). Verumtamen iis
L. I, c. II, 4. indignatur qui falso se stoicos praedicant. Qua acri-
monia *intempestivum* et *insubidum* adolescentis cu-
jusdam post epulas sermonem prosequitur, qui jac-
L. I, c. II, 6. tantia et *inani gloria* omnes defatigabat, cujusque
Herodes Atticus superbiam et loquacitatem Arriani,
ut supra diximus, dissertatione vituperavit et casti-
gavit! Temporibus enim Gellii, dum stoicorum alii
regulas minutiores edunt et alii fortiorem discipli-
nam pythagoricis vel cynicis praeceptis additis red-

(1) Cf. Fontan., *Fab.*, l. IV, p. 22. Cujus hoc est initium ab Enniano proverbio haustum : « Ne t'attends qu'à toi seul, c'est un commun proverbe. »

Ne quid expectes amicos quod tu per te agere possis.

Mont. : « L'estimation et le prix d'un homme consiste au cœur et en la volonté : c'est là où gist son vray honneur » (*Essais*, l. I, c. XXX).

(2) Teuffel, p. 215-217.

dere credunt, a priore sinceritate doctrina diverterat (1) et multi eo nomine praestigias proferebant : cynici praesertim, cum academici et epicurei stoicos strictis argumentis aggredi conabantur, maxima apud vulgum auctoritate valere videbantur et omnes philosophorum rationes ac ipsam philosophiam per ludibrium labefactabant (2).

Gellium autem apparet vanorum studiorum nec ad agendum spectantium admodum taeduisse. Sic, quod ad stoicorum opinionem de vivendi causis attinet, quod fit visus *emissione radiorum ex oculis in ea* L. V, c. XVI, 2. *quae videri queunt, aerisque simul intentione*, postquam eam aliis philosophorum comparavit opinionibus, post Ennium dicit : « degustandum ex philosophia, non in eam ingurgitandum. » Credit enim L. V, c. XVI, 5. non ad tales tantum disquisitiones sed ad mores praecipue pertinere philosophiam.

Qua arte et elegantia narrationes componit, exemplaria vitae et stoica praecepta fabulis intexens! Diceres nescio quam scenicam actionem in qua cuique personae proprium attribuitur munus et sermo naturae conveniens.

Cum Tauro et quibusdam Lebadiam venerat ubi L. XVII, c. V, 2. stoicus quidam philosophus gravi morbo afflictabatur, cujus compressi gemitus *non dolorem magis indicabant quam pugnam adversum dolorem*, qui *cohibebat coercebatque intra se violentias effrenati* L. XVII, c. V, 3.

(1) *Id.*, *ibid.*

(2) Mommsen, t. VII, p. 300-301.

doloris. Hinc, sub nomine Tauri, occasionem rapit evolvendi quid de dolore et fortitudine censeat, quam
L. XVII, c. v, 13. *rerum tolerandarum et intolerandarum* scientiam nuncupat, negatque esse eam *quae contra naturam, monstri vicem*, nitatur.

In alio itinere, quod navigationem *a Cassiopea ad*
L. XIX, c. I, 1. *Brundusium* dicit, comitem habebat philosophum
L. XIX, c. I, 4. *in stoica disciplina celebratum*. Exoritur procella terribilis, qua disturbantur omnium animi : ille tamen impavidus manebat, nullo ploratu, ne minima quidem voce edita, sed coloris et vultus turbatione (1) non multum a ceteris differens. Cujus tamen notat superbiam, cum a divite quodam ex Asia homine interpellatus quod palluisset, post aliquantulam cunctationem, fastidiose per ipsa *Aristippii discipuli* verba
L. XIX, c. I, 9. *in simili tempore a simillimo homine* interrogati, responderit. Sic intempestivo homine ille se expedivit stoicus : quae tamen agendi ratio non omnibus placere poterit. Cum autem Gellius paulo post eum per-
L. XIX, c. I, 13. contaretur, *placide et comiter* Epicteti verba de sapientis et insipientis assentione recitavit.

Disciplinam vero stoicorum non omnibus partibus amplecti videtur, quippe qui cum Herode Attico,

(1) Cf. Mont., *Essais* : « Ny n'entendent les stoiciens que l'ame de leur sage puisse résister aux premieres visions et fantasies qui luy surviennent; ains, comme à une subjection naturelle, consentent qu'il cede au grand bruict du ciel ou d'une ruine, pour exemples, jusqu'à la pasleur et contraction, ainsin aux aultres passions, pourveu que son opinion demeure saulve et entiere et que l'assiette de son discours n'en souffre atteinte ni alteration quelconque et qu'il ne preste nul consentement à son effroy et souffrance » (l. I, c. xii).

cujus de Threicio homine fabulam jam retulimus (1), negaret hominem *qui secundum naturam sentiret et saperet affectionibus animi omnino carere posse :* eis enim quasi *adminiculis* animus ad agendum excitatur, quibus sublatis *langueret et torperet;* cum quidem fateretur in vitia eas, si immoderatiores fiant, verti, tamen si penitus avellas, una bonas quasdam indoles amittas. Haec apologo adjiciebat : « Sic isti apathiae sectatores qui videri sese tranquillos et intrepidos et immobiles volunt, dum nihil cupiunt, nihil dolent, nihil irascuntur, nihil gaudent, omnibus vehementioris animi officiis amputatis, in corpore ignavae et quasi enervatae vitae consenescunt. »

L. XIX, c. XII, 3.

L. XIX, c. XII, 10.

Alias narratur sermo qui Ostiae apud Favorinum, *acriter* scilicet et *contente*, nostro praesente, inter peripateticum quemdam et stoicum de beata vita habitus est; in quo uterque *minuta et nodosa*, ut ait, argumenta miscebat. His verbis Gellius philosophorum suae aetatis contumaciam perspicue depingit ac vanam vel stoicorum dialecticam reprehendit. Notum enim omnibus Zenonem Citiensem non modo apud Cratem cynicum verum etiam apud megaricum Stilponem studuisse (2), captiosisque argumentis abusum fuisse Chrysippum.

L. XVIII, c. 1.

Zenoni placuisse ait *voluptatem esse indifferens, id est neutrum, neque bonum neque malum, quod ipse graeco vocabulo* ἀδιάφορον *appellavit.* Cujus senten-

L. IX, c. V.

(1) Vide supra.

(2) Zeller, *Ph. des Gr.*, t. III, p. 232.

tiam cum Epicuri, Antisthenis, Speusippi, Critolai, Platonisque sententiis confert, adjiciens omnes a Platone originem ducere qui vario respectu variis sermonum locis ea considerat (1).

Zenonem refert tempore belli cum Pyrrho rege
L. XVII, c. XXI. sumpti celebrem fuisse, et *tanta cura tantoque sui apparatu* opus fore sibi, ut cum aggrederetur, Car-
L. XVII, c. XV. neadem credidisse, ut elleboro sese purgaverit. Hactenus de stoicae philosophiae conditore, nisi quod
L. XIX, c. I, 14. addit scriptis ejus congruere Arriani dissertationes.

De Cleanthe nihil nisi mentio fit in disputatione
L. I, c. II, 10. supra relata Epicteti adversus falsum stoicum.

Stoicae vero *princeps philosophiae* (2) a Gellio vocatur Chrysippus qui, cum negarent quidam providentiam, hoc argumento usi quod multa sunt in terra mala, in libro περὶ προνοίας quarto respondit (3) :

1° Nihil esse boni posse, si nullum exsisteret malum, quippe cum sit *nullum adeo contrarium sine contrario altero*, nullam non virtutem vitio esse oppositam : quod ad probandum quatuor virtutes examinat;

(1) Mont., *Essais*, l. I, c. XIX : « Toutes les opinions du monde en sont la, que le plaisir est notre but, quoy qu'elles en prennent divers moyens ; aultrement on les chasseroit d'arrivee ; car qui escouteroit celuy qui, pour sa fin, establiroit nostre peine et mesaise? » (Cf. Denis, *op. cit.*, t. I, p. 255 ; t. II, p. 3, 5.)

(2) « Chrysippus, qui fulcire putatur porticum stoicorum » (Cic., *Acad.*, II, 24 ; cf. Martha, *Et. mor. sur l'antiq.*, p. 71). « Chrysippe, le maître des maîtres, dialecticien jusque-là sans pareil, qui avait subtilement, fil par fil, formé toute la trame de la doctrine, si bien qu'on disait de lui avec emphase : « S'il n'y avait pas de Chrysippe, il n'y aurait point de stoïcisme. »

(3) Cf. Cic , *De nat. deo.*, III, 10.

2° Quidquid doloris sit, ut ait Plato, quodam nexu cum voluptate junctum esse, quidquid voluptatis cum dolore; L. I, c. II, 5.

3° Quod ad morbos attineat, non eos a natura pendere, sed a necessitate quadam qua, cum providentia « *tenuissimis minutisque ossiculis caput compingeret* » itidemque alia fingeret membra, dum salus pareretur, « *aegritudines quoque partae sint* (1). » L. I, c. II, 11.

Sic plerique stoici dolorem et vitium explicabant, contendentes jam omnia natura optima esse et huic recentiori opinioni praeeuntes qua dolores variis ponderibus aestimari possunt, qua modo dolor nostrorum factorum est consequentia, rerum modo admonitio quibus indigemus vel stimulus ad agendum, deinde majoris occasio voluptatis, denique malefacti piaculum.

Fatum autem credebat Chrysippus *sempiternam quamdam et indeclinabilem seriem rerum et catenam, volventem semetipsam per aeternos consequentiae ordines ex quibus acta connexaque est.* L. VII, c. II, 1.

Ea Chrysippi definitione nixi, alii philosophi contendunt eum liberum arbitrium negavisse, ideoque *nocentium poenas legibus inique constitutas.* Ad haec L. VII, c. II, 5. ipse respondebat omnia quadam fatali lege connexa, ea tamen ratione ut cum primo naturae impetu congruat nostra *proprietas* et *qualitas* : « genera ipsa, L. VII, c. II, 7. inquiebat, et principia causarum movet ordo et ratio

(1) Cf. Renouvier, *Man. phil. anc.*, t. II, p. 252, et Leibnitz, *Essai sur la bonté de Dieu*, édit. Janet, t. II, p. 334 et seq.

et necessitas fati : impetus vero consiliorum mentiumque nostrarum actionesque ipsas voluntas cujus-
L. VII, c. II, 11. que propria et animorum ingenia moderantur (1). »
Itaque cum Pythagoreis credit homines suorum esse
L. VII, c. II, 12. malorum auctores, nostroque arbitrio et proprio motu in errorem et vitia malaque, quae inde sequuntur, nos immitti. Negat excusationem admitti posse eorum qui ea *quae pessime fecerunt non suae temeritati sed*
L. VII, c. II, 13. *fato esse attribuenda* asserunt.

L. VII, c. II, 15. Hanc quaestionem *obscurissimam* et *implicatissimam* (2) nec ejus nodum a Chrysippo dissolvi potuisse dixit Tullius in libro de *Fato* inscripto. Fatendum enim est argumenta quae a Chrysippo edita refert Gellius parum esse firma; itaque ea Carneades redarguisse, nulla tamen adhibita calumnia (3), dicitur (4).

Quod si in illa fati ac liberi arbitrii conciliandi difficultate titubavit Chrysippus, imaginem Justitiae perfectissimam in libro περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς descrip-
L. XIV, c. IV, 3. sit, qua significatur *judicem*, *justitiae antistitem*, oportere esse gravem. Admonet tamen Gellius quosdam delicatiores philosophos *saevitiae imaginem*
L. XIV, c. IV, 5. *istam esse*, *non justitiae* dixisse. Ille vero ait *vultum ejus severis atque venerandis verborum coloribus* de-
L. XIV, c. IV, 1. pictum.

Idem, versibus Euripidis citatis, saepissime usum

(1) Cic., *De Fato*, 18.
(2) *Id.*, *ibid.*, 17.
(3) Cic., *ibid.*, XIV, 31.
(4) Brochard, *Les sceptiques grecs*, p. 150 et seq.

quarumdam rerum exprobrabat quem *per luxum et improbam lasciviam* quidam homines faciunt. L. VI, c. XVI, 6.

De verborum quoque significatione (1) tradit opinionem ejus Gellius, quae omnia ille ambigua esse dixit, *quoniam ex eodem duo vel plura accipi possunt.* L. XI, c. XII, 1. Cujus contrarium asseruit Diodorus Cronus (2), contendens obscuritate solum non ambiguitate id fieri posse, quoniam « non aliud, inquit, dici videri debet quam quod se dicere sentit is qui dicit. » L. XI, c. XII, 2.

Cum Chrysippi Cleanthisque libris Diogenis Babylonii qui quidem Chrysippi fuit auditor, libri de morali re citantur. Diogenes ille cum Carneade et L. I, c. II, 10. Critolao legatus ab Atheniensibus Romam venit et *modesta* ac *sobria* elocutione mirationem fecit (3).

Nulla fit mentio de Diogenis discipulo, Antipatre, quem doctorem habuit Panaetius, *vir gravis atque* L. XIV, c. V, 10. *doctus* (4). Videtur tamen ille pro sua parte stoicam disciplinam emendavisse et e Chrysippi dumetis expedivisse (5).

Erravisse ait Gellius indoctum quemdam sophis- L. XVII, c. XXI. tam qui Panaetium cum superiore Africano, pro minore, vixisse dixit : ille per quem in primis Scipionis familiarem stoica disciplina Romae constitit (6), indolentiam stoicorum tamen et *apathiam*, cum non- L. XII, c. V, 10.

(1) Cic., *De off.*, I, 7.

(2) Cf. Zeller, *Phil. des Grecs*, t. III, p. 252; cf. *Dict. des sc. ph.*, art. *Diodore Cronus.*

(3) Cf. Cic., *De off.*, III, 12.

(4) Cic., *De divin.*, I, 3. — *De fin.*, IV, 9.

(5) Denis, *op. cit.*, t. I, p. 386.

(6) Vide Teuffel, *op. laud.*, t. I, p. 89.

nullis *ex eadem porticu* prudentibus hominibus improbabat et abjiciebat : quod testatur quoque Cicero (1).

E Panaetii de officiis libro nonnulla perutilia prae-
L. XIII, c. XXVII, 3, 4. cepta se hausisse dicit Gellius, e quibus hanc vitae accommodatam sententiam eorum praesertim qui *in medio rerum agunt*, ac *sibi suisque esse usui volunt*, quos semper *athletarum more* ad omnes eventus paratos et fortes, mente *erecta*, *ardua*, *septa*, *solida*, *expedita* esse oportet. Sapiens enim contra *fortunae verbera*, contra *insidias iniquorum*, *quasi brachia et manus* semper protendere debet.

De Musonio, stoicae quoque disciplinae sectatore, jam meminimus : cui a Nerone propter Pisonis conjurationem in insulam Gyarum posteaque à Vitellio relegato (2), Vespasianus, reliquis expulsis philosophis, pepercit. Ille, romanorum stoicorum more, agendi magis quam meditandi studio se dedit, ideoque ex ejus dictis nonnulla excerpit Gellius. Pulchrum illud refert, quod latine de graeco sermone
L. XVI, c. I, 2. quo Musonius uti solebat vertimus : « Si quid egeris

(1) *De Fin.*, IV, 28 : « Stoicorum tristitiam atque asperitatem fugiens Panaetius, nec acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavit. »

(2) Cf. Martha : « Au moment où les légions de Vitellius et de Vespasien allaient en venir aux mains devant Rome, dans une des plus terribles attentes qui aient jamais consterné un peuple, un philosophe, Musonius Rufus, ne comptant que sur son éloquence et la renommée de sa vertu, osa sortir de la ville pour apaiser les assaillants, et, dans la naïveté de son courage, bravant les risees et les menacés d'une soldatesque avide de sang et de pillage, il ne se retira qu'au moment où il allait payer de sa vie sa morale intempestive » (*Les moralistes sous l'empire romain*, p. 3).

recti per laborem, labor evanescet, rectum tamen remanebit; si quid contra turpe feceris per voluptatem, evanescet voluptas, turpe contra remanebit. » Sic fere antea in oratione apud equites Numantiae habita locutus erat M. Cato.

Narrat eumdem Musonium cuidam philosophi speciem prae se ferenti, re tamen *nebuloni et nulla re bona digno* qui mendicabat, *mille nummum dari jussisse*, quia eo magis pecunia indigeret. Quod exemplum, ut supra vidimus, imitatus est Herodes Atticus. L. IX, c. II, 8.

Illum quoque ait dicere solitum, si quando acciderit ut, loquente de moribus philosopho, auditores clamoribus et plausu, quod in consuetudinem venerat (1), admirationem suam expromerent, frustra eum loqui et illos audire. Nam cum errorum vitiorumque remedia proferuntur, nemo, *nisi plane deperditus*, *laudandi otium habet* : penitus permotus et affectus vultu tantum et ore intimos sensus significat auditor : ceterum quae admirationem incitant, ea et silentium nec verba pariunt : sic dicebat Homerum Ulyssis auditores finxisse *attonitos et obstupidos delenimentis aurium ad origines usque vocis permanantibus*. Quod breviter apud nostros dicitur : mutos facit admiratio. L. V, c. III.

Severior ille nempe philosophus, quo auctore *remittere animum quasi amittere esset :* quapropter Gellius his verbis, cum Saturnalia *agitaret*, omissis, se *demulcere* animum et *laxare* ait, quamdam oblec- L. XVIII, c. II.

(1) Friedlaender, *op. cit.*, p. 429; cf. Apul., *Apologia*; *Senec.*, *passim*.

tamenti licentiam admittens et verborum mutationem.

L. IX, c. v. Alius annumeratur stoicus, Hierocles, cujus Taurus hanc de voluptate et providentia sententiam saepissime verbis usurpabat : Ἡδονὴ τέλος, πόρνης δογμα · οὐκ ἐστὶ προνοία (1) οὐδὲ πόρνης δόγμα : qui a Gellio *sanctus et gravis* vocatur. De eo quem aiunt quidam ex athleta philosophum evasisse nihil amplius apud Gellium reperitur.

Non indignum forte videbitur hic memorare Publium Syrum, cujus sententiae lepidae et *ad commu-*
L. XVIII, c. xiv. *nem sermonum usum commodatissimae* juxta Senecae opera saepissime editae fuerunt, et Sotionem, *haud*
L. I, c. viii, 1. *sane ignobilem virum*, qui, in libro quem latine *Cornu caprae* vertere licet, multas variasque historias amplexus est et unus e Senecae magistris fuit : quem quidam inter pythagoreos numerant (2), Gellius ex peripatetica disciplina dicit.

10° *De Pyrrhoniis et Academicis.*

Stoicorum fere aequales et adversarii fuere Pyrrhonii ac praesertim Academici (3). Protagorae et aliis sophistis infensus, non eadem severitate Gellius Pyrrhonios et Academicos prosequitur, quia forsan Favorini fuit discipulus et admirator, satis habens paucis

(1) Fouillée, *Phil. de Socrate*, t. II, p. 125.
(2) Vide Ritter, *Hist. ph. anc.*, t. IV, p. 140.
(3) V. Brochard, *Les sceptiques grecs.*

verbis exponere quatenus illi inter se differant ac consentiant (1).

« Quos Pyrrhonios philosophos, ait, vocamus, ii graeco cognomine σκεπτικοὶ appellantur » quod nomen latine vertit *quaesitores et consideratores* : illi enim primi hoc cognomine vere digni fuerunt, eorumque disciplina ad tria momenta pro temporum vicissitudine redacta fuit. Non ea quaesivit Gellius nec omnes edidit causas dubitandi quas in decem, ut traditum est, ἐποχᾶς distribuit Pyrrho et explicavit Ænesidemus (2), academicorum obtrectator (3). De eo quod dicitur causa praecipue disputavit Ænesidemus, quam, recentiorum philosophorum argumentis praeoccupatis, intelligi posse negat (4). Rationes eas dubitandi ad quinas reduxit Agrippa (5). L. XI, c. v, 1. L. XI, c. v, 2.

Ea omnia in probatissimo nostri temporis libro exposita praetermittit Gellius, quamvis illi superiore aetate vixerint : dicit tantum eos *nihil decernere, nihil constituere sed in quaerendo semper considerandoque esse quidnám sit omnium rerum de quo decerni constituique possit*, ad unum quidem omnibus Pyrrhoniorum argumentis retractis, et adjicit : « Ac ne videre quoque plane quidquam neque audire se putant (6), sed ita pati afficique quasi (7) videant vel L. XI, c. v, 3.

(1) Cf. Denis, *op. cit.*, t. I, p. 302.
(2) Brochard, *ibid.*, p. 36.
(3) E. Saisset, *Scepticisme*, p. 69.
(4) Brochard, *op. cit.*, p. 271, 294, 295 et *pass.*
(5) *Id.*, *ibid.*, p. 301.
(6) Cf. Mont., l. II, c. xii, xxix.
(7) A. Lemoine, *L'âme et le corps*, p. 129.

L. XI, c. v, 4. audiant, » quae vera est Pyrrhonis disciplina cujus ipsa refert verba. Pyrrho enim hanc Plinii Secundi contumaciam non affectabat *unum certum nihil esse certi*, et, quod Gellius omisit, ideo judicii abstinentiam suadebat ut animi tranquillitate frueremur (1). Nec exposuit Gellius quatenus secum sint consentanei illi qui *sinceras proprietates negant posse nosci et percipi idque docere atque ostendere multis modis conantur*. De iis placitis pyrrhoniorum addit scriptos a Favorino libros decem *subtilissime argutissimeque compositos*.

L. XI, c. v, 5. L. XI, c. v, 5.

In hoc consentire ait Pyrrhonios et Academicos (2) quod utrique negent ullam rem percipi posse per se ac suum semper retineant judicium, quod significant graeca eorum cognomina σκεπτικοὶ, ἐφεκτικοὶ, ἀπορητικοί· secundum utrosque de specie rerum, non de re vera, de iis quae sentimus nec de iis quae sunt judicari licet. In eo praesertim dissentiunt quod Academici hoc saltem affirmant nihil decerni affirmarique posse, L. XI, c. v, 8. dum contra Pyrrhonii ne hoc quidem. Strictioribus argumentis nuper demonstratum est Pyrrhonios magis ad ea quae scientiae nomine nunc vocamus, academicos vero ad ea quae dicuntur litterae magis inclinavisse (3) : illi enim dialecticam dedignantur aut etiam derident, hi contra eam maxima opera colunt. Favorinus tamen inter utrumque stare videtur, qui in ea quam supra retulimus controversia Academi-

(1) Brochard, *op. cit.*, p. 58, 76; cf. Mont., l. II, c. xii.
(2) V. Brochard, *ibid.*, p. 98.
(3) Brochard, *op. cit.*, p. 93.

corum sententiam expromit : « Noli, inquit, ex me quaerere quid ego existimem. Scis enim solitum esse me, pro disciplina sectae quam colo, inquirere potius quam decernere ; » quique non minus rhetoricae et dialecticae quam naturalibus rebus studuit. L. XX, c. I, 8.

Timo, qui e saltatoria arte in Pyrrhoniam (1) sectam evaserat et Stilponem audiverat (2), dicitur a Gellio *amarulentus* : qui *maledicentissimum librum* conscripsit, in quo omnes praeter Pyrrhonem philosophi, ne Socrate quidem excepto, contumeliis onerati sunt : cujus accusationem refellit Gellius qua Platonem insectatur et accusat ille quod *ex libro pythagoricae disciplinae* empto *Timaeum nobilem illum dialogum concinnasset*. Versus autem Timonis ad nullum alium quam Philolai librum pertinere non immerito conjiciuntur (3). L. III, c. XVII, 4.

Arcesilai academici unum tantum vehementius refertur verbum, quod cum testimoniis nuper de eo collectis (4) congruit, delicato et effeminato diviti dictum, cujus *vox* erat *infracta*, *capillus arte compositus* et *oculi ludibundi atque illecebrae voluptatisque pleni*, quique tamen *castus et perinteger dicebatur* : « Nihil interest, inquit, quibus membris cinoedi sitis. » L. III, c. V.

Carneades dignus erat de quo plura dicerentur. Ille enim, probatissimis libris medium locum inter

(1) *Id.*, *ibid.*, p. 72. — Ritter, *Hist. ph. anc.*, p. 355.
(2) Ritter, *ibid.* — Zeller, t. III, p. 234. — Brochard, p. 90.
(3) Zeller, t. I, p. 288.
(4) Cf. Brochard, *op. cit.*, p. 100-104.

L. XI, c. v, 4. audiant, » quae vera est Pyrrhonis disciplina cujus ipsa refert verba. Pyrrho enim hanc Plinii Secundi contumaciam non affectabat *unum certum nihil esse certi*, et, quod Gellius omisit, ideo judicii abstinentiam suadebat ut animi tranquillitate frueremur (1). Nec exposuit Gellius quatenus secum sint consentanei
L. XI, c. v, 5. nei illi qui *sinceras proprietates negant posse nosci et percipi idque docere atque ostendere multis modis conantur*. De iis placitis pyrrhoniorum addit scriptos a Favorino libros decem *subtilissime argutissimeque*
L. XI, c. v, 5. *compositos*.

In hoc consentire ait Pyrrhonios et Academicos (2) quod utrique negent ullam rem percipi posse per se ac suum semper retineant judicium, quod significant graeca eorum cognomina σκεπτικοὶ, ἐφεκτικοὶ, ἀπορητικοί · secundum utrosque de specie rerum, non de re vera, de iis quae sentimus nec de iis quae sunt judicari licet. In eo praesertim dissentiunt quod Academici hoc saltem affirmant nihil decerni affirmarique posse,
L. XI, c. v, 8. dum contra Pyrrhonii ne hoc quidem. Strictioribus argumentis nuper demonstratum est Pyrrhonios magis ad ea quae scientiae nomine nunc vocamus, academicos vero ad ea quae dicuntur litterae magis inclinavisse (3) : illi enim dialecticam dedignantur aut etiam derident, hi contra eam maxima opera colunt. Favorinus tamen inter utrumque stare videtur, qui in ea quam supra retulimus controversia Academi-

(1) Brochard, *op. cit.*, p. 58, 76; cf. Mont., l. II, c. XII.
(2) V. Brochard, *ibid.*, p. 98.
(3) Brochard, *op. cit.*, p. 93.

corum sententiam expromit : « Noli, inquit, ex me quaerere quid ego existimem. Scis enim solitum esse me, pro disciplina sectae quam colo, inquirere potius quam decernere ; » quique non minus rhetoricae et dialecticae quam naturalibus rebus studuit. L. XX, c. I, 8.

Timo, qui e saltatoria arte in Pyrrhoniam (1) sectam evaserat et Stilponem audiverat (2), dicitur a Gellio *amarulentus :* qui *maledicentissimum librum* conscripsit, in quo omnes praeter Pyrrhonem philosophi, ne Socrate quidem excepto, contumeliis onerati sunt : cujus accusationem refellit Gellius qua Platonem insectatur et accusat ille quod *ex libro pythagoricae disciplinae* empto *Timaeum nobilem illum dialogum concinnasset.* Versus autem Timonis ad nullum alium quam Philolai librum pertinere non immerito conjiciuntur (3). L. III, c. XVII, 4.

Arcesilai academici unum tantum vehementius refertur verbum, quod cum testimoniis nuper de eo collectis (4) congruit, delicato et effeminato diviti dictum, cujus *vox* erat *infracta, capillus arte compositus* et *oculi ludibundi atque illecebrae voluptatisque pleni*, quique tamen *castus et perinteger dicebatur :* « Nihil interest, inquit, quibus membris cinoedi sitis. » L. III, c. V.

Carneades dignus erat de quo plura dicerentur. Ille enim, probatissimis libris medium locum inter

(1) *Id.*, *ibid.*, p. 72. — Ritter, *Hist. ph. anc.*, p. 355.
(2) Ritter, *ibid.* — Zeller, t. III, p. 234. — Brochard, p. 90.
(3) Zeller, t. I, p. 288.
(4) Cf. Brochard, *op. cit.*, p. 100-104.

Arcesilaum et stoicos occupavisse dicitur (1), videturque primus conscientiae ancipitis casus excussisse (2) illiusque cum in lubrico versaretur regendae artem condidisse : quod Gellii earum rerum plerumque curiosi animum intendere debuit. Erat etiam non parvae laudis ille qui voluptatem cum honestate commendabat (3), cujus mores et ingenium optimis verbis nuper descripta sunt (4), quique doctrinarum hodie pervulgatarum antecessor fuit (5). Controversia ejus cum Chrysippo, cujus discipulus fuisse dicitur (6) prius quam adversarius fieret, occasionem, quam immerito omisit, Gellio praebebat ea referendi quae de libero arbitrio Carneades arbitrabatur (7). Fatendum est in ea re Gellium, qui satis habet *violentam*
L. VI, c. xiv, 10. et *rapidam* ejus elocutionem laudare, nec ullo modo terroris quem romanorum mentibus injiciebat meminit (8), se magis historiae et litterarum studiosum quam philosophum praebuisse.

(1) Cf. Brochard, *op. cit.*, p. 134.
(2) *Id.*, *ibid.*, p. 154; cf. Martha, *Et. mor.*, p. 99.
(3) *Id.*, *ibid.*, p. 178.
(4) *Id.*, *ibid.*, p. 177.
(5) *Id.*, *ibid.*, p. 181, 182, 184, 416.
(6) Martha, *Etudes morales sur l'antiq.*, p. 71.
(7) Brochard, p. 162, 391.
(8) Martha, *ibid.*; cf. Teuffel, t. I, p. 89, 91. — Cic., *Orat.*, II, 8.

IV. — De iis quae ipse sensisse videatur de philosophicis rebus A. Gellius.

De philosophorum historia et iis quae audivit legitque Gellius hactenus : nunc qûae ipse sensisse videatur exponendum.

Magni profecto philosophiam aestimavit et eam, secundum Socratem et Ciceronem (1), veram dixit quae « virtutum omnium disciplina est, quaeque in publicis simul et privatis officiis excellit, civitatesque et rempublicam, si nihil prohibeat, constanter et fortiter et perite administrat. » Sed qui eam amplecti velit necesse est ut sit homo *nec falsus nec degener* (2), at etiam ingenio et eruditione discendique studio et labore explorato, si praesertim ad illam remotiorem contendat subtilioremque *quae ad naturae contemplationes disceptationesque dialecticos* pertinet, quamque Aristoteles delectos discipulos docebat. Quidquid tamen obscurius esset a philosophia semovendum putabat : sic eum supra vidimus post Ennium

L. X, c. XXII, 24.

L. XVII, c. XIX, 9.

(1) Cic., *In Pison.*, 29. — *Tusc.*, V, 2.

(2) Cic., *Tusc.*, II, 4 : « Ejus vis non idem potest apud omnes : tum valet plurimum cum est idoneam complexa naturam. »

L. V, c. xv, 9. dicere « Philosophandum est paucis, nam omnino haud placet, » et alias : « degustandum ex philoso-
L. V, c. xvi, 5. phia, non in eam ingurgitandum (1). »

Nusquam planam philosophandi rationem aut partium philosophiae divisionem Gellius dedit : ordinem igitur a plerisque acceptum sequar et primum de animi natura et facultatibus, dein de logica et dialectica arte, postea de moribus et metaphysicis rebus opiniones et ea quae ex suo penu videtur addidisse exponam.

1° *De animi natura et facultatibus.*

Quod ad animi naturam et facultates attinet, haec praecipua summatim excerpenda mihi videntur.

L. VI, c. vi, 1. — XIX, c. ii. Quinque sensus cum Aristotele admittit, e quibus duo cum belluis, gustus et tactus, maxime communes sunt (2) : per sensus *voluptas animo aut corpori* quaeritur (3). Eos igitur potius quatenus ad affectus quam ad notitiam pertinent considerat, cum tamen eo tempore inter varias philosophorum sectas disputaretur num sensibus pro cognoscendi instrumentis fides esset habenda (4).

De voluptate et dolore nonnulla exposita disputa-

(1) Cic. contra dixerat : « Difficile est in philosophia pauca esse ei nota cui non sint aut pleraque aut omnia » (*Tusc.*, II, 1).

(2) Mont., *Essais*, l. II, c. xii; cf. Cic., *De nat. deor.*, II, 58. — Espinas, *Sociétés animales*, etc.

(3) Cf. Cic., *De Fin.*, II, 3.

(4) V. Brochard, *pass.*

taque sunt a Gellio : refert, ut supra dictum est, quid de iis censuerint Antisthenes, Speusippus, Zeno, Critolaus, Plato, Taurus, Hierocles stoicus, Epicurusque qui *maximam voluptatem detractionem privationemque omnis doloris definivit* (1). Ea sunt vitae et cogitationis principia, quippe cum *voluptati quidem a natura conciliatus, a dolore autem quasi a gravi inimico adjunctus alienatusque sit* et *primis sensibus doloris voluptatisque ante consilii et rationis exortum recens natus homo imbutus* (2). In ea re communem omnium opinionem Gellius tantum exprimit, quam altius recentiores perscrutati sunt (3).

L. II, c. VI, 12.

L. XII, c. V, 8.

Recte, cum plerisque sane, animadvertit rationem post affectus nasci eisque obluctari : « Affectiones, ait, primitus penitusque inditas ratio post addita convellere ab stirpe atque extinguere vix potest. Pugnat autem cum iis semper et exsultantes eos opprimit obteritque et parere sibi atque obedire cogit (4). » Ad haec comprobanda orationem Catonis Numantiae habitam et dictum Musonii de voluptate et nisu refert, testimoniis alienis magis quam propria cogitatione fretus.

L. XII, c. V, 8.

Quamvis judicet voluptatem et dolorem, *quod ad finem ipsum bene beateque vivendi* pertinet, neque bona neque mala esse, asserit *in pecudum ferorum-*

L. XVI, c. I.

(1) Cic., *De Fin.*, I, 11.
(2) Cic., *De nat. deor.*, III, 13.
(3) Cf. Bain, *Emotions et volonté, Esprit et corps, Sens et intell.* — H. Spencer, Condillac, *passim*, etc.
(4) Cf. Cic., *De off.*, I, 28; *Tusc.*, II, 20.

L. XII, c. V, 7. *que animalium numero* haberi *quisquis est ferinis* —
L. XIX, c. II. scilicet cibi et veneris — *voluptatibus praevinctus*. Censet tamen nullum usquam hominem omnibus affectibus vacare posse et illos etiam ne *languescat*
L. XIX, c. XII, 3. et *torpescat animus* utiles esse (1) : ut autem non
L. I, c. XXVI, 10. avellendi sunt, ita in mediocritate sunt tenendi. Natura enim nobis insitus est *amor nostri et caritas*,
L. XII, c. V, 7. *quod est conservandae hominum perpetuitatis fundamentum*, ex quo pendent omnes affectus. Ea propria sunt illius amoris quae ad athletas refert qui *projectis alte brachiis consistunt caputque et os suum manibus*
L. XII, c. XXVII, 4. *oppositis quasi vallo praemuniunt*. At Gellius ea simpliciter exponit nec quaerit quas in species hic amor nostri converti possit : ea quae vulgo constare videntur consignat, nec quae consequantur deducere conatur.

Distinguit Gellius *naturales* animi *motus*, ut pavorem palloremque subitum et eorum causarumque aestimationem : quibus cedere proprium magis est *infirmitatis quam quod esse ea qualia visa sunt censeamus* : sic decernere videtur ea quae ad sentiendi
L. XIX, c. I, 21. et intelligendi facultatem pertinent.

De quibusdam animi affectibus haec sunt notanda.
L. V, c. I, 5. Ait Gellius *admirationem quae maxima est non parere verba sed silentium*, quod supra vidimus; pudorem a philosophis *speciem timoris* esse definitum : *timorem justae reprehensionis;* additque quaeri posse
L. XIX, c. VI, 3. *quam ob causam pudor sanguinem diffundat, timor*

(1) Cic., *Tusc.*, IV, 25 : « Utile est uti motu animi qui uti ratione non potest. »

contrahat. Æmulationi originem attribuit *parilitatem*
virtutum et aequiparationem (1) : sed longe abesse L XIV, c. III, 8, 7.
ait, praesertim apud philosophos et optimos viros, *ab*
obtrectatione et invidia. Asserit amorem et odium L. I, c. III, 30.
intra modum coercenda (2); avaritiam, de qua dis-
putationem supra vidimus, putat, ut veteres, *omnia* L. XI, c. II, 2.
vitia habere, refertque dicta Senecae ad avarum :
« Quid enim refert quantum habeas? multo illud
plus est quod non habes. » Affectus nostros ad ge- L. XII, c. II, 13.
nera reducere non conatus est, quod tentaverat Tul-
lius Cicero (3), et recentiores philosophi exactiore
discrimine perfecerunt (4).

Laetitia dicitur, id quod jam dixerat T. Castricius,
exsultatio quaedam animi gaudio efferventior eventu L. II, c. XXVII, 3.
rerum expetitarum (5); quae definitio cum multis
posterioribus convenit. Quid efficere possit gaudium
insperatum nonnulla demonstrant exempla *per ho-*
minum memoriam tradita (6). Sic violentus animi L. II, c. XV.

(1) Cartes : « L'émulation n'est autre chose qu'une chaleur qui dispose l'âme à entreprendre des choses qu'elle espère lui pouvoir réussir pour ce qu'elle les voit réussir à d'autres; et ainsi c'est une espèce de courage duquel la cause externe est l'exemple » (*Passions de l'âme*, 3e part., art. 172).

(2) Cf. Mont., *Essais*, l. I, c. XXVII : « Ce precepte qui est si abominable en cette souveraine et maistresse amitié, il est salubre en l'usage des amitiés ordinaires et coustumieres, à l'endroict desquelles il faut employer le mot qu'Aristote avoit tres familier : « O mes amys! il n'y a nul amy! »

(3) *Tusc.*, IV, 7.

(4) Cf. Cartesium, Bossuetium, Spinozam, Malebranche, H. Spencer, Bain, etc.

(5) Cf. Descartes, *Traité des pass.*, 2e part., art. 91 et seq. et *passim*.

(6) Cf. Mont., *Essais*, l. I, c. II; cf. Fontenelle, *Eloge de Leibniz*.

motus filio Croesi et cuidam Samio athletae *oris vincula* solvit (1) : illi terror, huic indignatio *vitium*
L. V, c. IX. *nodumque linguae rupit.* His saltem exemplis forte ac temere relatis philosopho qui experientia nititur Gellius prodesse potest.

De metu et quibusdam aliis affectibus hoc animadvertit quod *utroqueversum dici possunt*, nam *metus hostium recte dicitur et cum timent hostes et cum*
L. IX, c. XII, 13. *timentur :* quod ceterum magis ad grammaticam spectat. Hoc magis ad philosophiam pertinet quod, auctore Plutarcho, de virginibus subito morbo affectis, refert quas Milesii a voluntaria morte *pudore*
L. XV, c. X. *solo inhonesti funeris* deterruerunt (2) : saepissime etiamnunc similibus artibus medici utuntur.

Laudat compellationem M. Catonis *adversus superbissimos homines factam qui superbiam in sese ama-*
L. VI, c. III, 50. *rent in aliis reprehenderent* (3), et eo quam sincerus ipse fuerit satis significat.

Illa praecipua de affectibus notanda : nunc ea quae ad intellectum et rationem spectant jejune quidem a Gellio dicta exponam. *Homo*, ait, definiendus est
L. V, c. I, 12. *mortale animal rationis et scientiae capiens* (4). *Scire* autem dicitur *de omnibus communiter rebus vel ad-*
L. II, c. XIX, 5. *versis vel prosperis vel insperatis vel exspectatis* (5).

(1) Mont., *Essais*, l. I, c. XX; l. II, c. XII; l. II, c. II. — Taine, *L'intelligence*. — Ribot, *Maladies de la mémoire, de la volonté*, etc.
(2) Mont., *Essais*, l. II, c. III.
(3) Cartes, *Traité des passions*, 3ᵉ part., art. 156, 157, 158.
(4) Cf. Cic., *De Leg.*, I, 7.
(5) Cic., *De off.*, I, 4.

Fatendum est ea omnia quae multis in locis abundantius et elegantius explicavit Tullius, sicca et brevi definitione Gellium amplecti. Rationem *a natura datam* esse credit, ideoque innatam et omnibus com- L. XII, c. V, 11. munem (1), quod censuerunt plerique veterum philosophorum, recentiores contra nonnulli negant (2).

Desiderantur, ut supra diximus, quae ex Aristotele L. VIII, c. VII. excerpserit *de exuberantia et interitu memoriae*, quae cum nostrorum experimentis comparare juvaret (3) : Afranium secutus, *sapientiam* dicit *filiam esse usus et* L. XIII, c. VIII. *memoriae*, cujus *vegetandae* gratia suadet ut *adnotamentis digna* exscribamus, quod ei videtur *utile exercitium ad conciliandas nobis, ubi venerit usus, verborum sententiarumque elegantium recordationes* (4). L. XVII, c. II, 1. Num hac notandi consuetudine ingenii acumen oblitteretur et mens pigrior fiat non quaesivit Gellius.

Quid tamen possit consuetudo multis exemplis significavit quae animum et corpus saepissime firmat (5), cum tamen aliquando, ut in disputationibus dialecticis, male cedat. Quod plerique nostri aevi L. XVII, c. XIV. philosophi physicique contendunt de vi seminis hereditaria (6) et de intimis mutationibus quas non modo in hominibus sed etiam *in pecudibus arbori-*

(1) Cic., *De Leg.*, I, 10.

(2) Condillac, *passim*, Bain, Spencer, etc.

(3) Cf. Ribot, *Maladies de la mémoire.*

(4) Cic., *De orat.*, II, 87; *Acad.*, II, 7 ; *De Senect.*, I, 7.

(5) Cf. Mont., l. I, c. XXII. — Plin., *Hist. nat.*, I, 26. — Cic., *Tusc.*, II, 17 ; *De orat.*, II, 87 ; *De Leg.*, II, XII.

(6) V. Ribot, *L'hérédité.* — H. Spencer, *pass.*; cf. Mont., *Essais*, l. II, c. XII.

busque et frugibus mutatio locorum cultusque et alimenti penitus efficit (1), Favorinus apud Gellium non jejune in dissertatione supra laudata indicat.

L. XII, c. I, 14, 15, 16.

Hujus etiam philosophiae partis rudimenta qua homines inter se et cum animalibus ceteris comparantur, sumpta quidem ex Aristotele et Apione Ægyptio, apud Gellium invenimus (2). Quod si nihil novum aut inauditum docet — idque non sibi assumit — ea fideliter tradit quae tempore ejus requirebantur.

L. V, c. XIV, 10, sq. — VI, c. VI, 1.

2° *De logica et dialectica.*

Non mirum videbitur quod Gellius sermonis et verborum fuerit curiosus, quippe cum grammaticae et eloquentiae peculiariter studuerit. P. Nigidium secutus, nomina et verba, quod non inter omnes philosophos convenit, *naturalia magis quam arbitraria* esse contendit; multa apud eum de significatione et declinatione varia verborum inveniri possunt quae ad grammaticam potissimum spectantia non hic locus est exponendi.

L. X, c. IV.

Quod ad argumentandi rationem attinet, supra notavimus quomodo syllogismum definierit et Plutarchi judicium de quodam Epicuri argumento refellerit.

L. XV, c. XXVI. — L. II, c. VIII, 1.

Haec ad recentiorem logicen arctius pertinent quae

L. XVI, c. VIII, 10.

(1) Cf. Mont., *Essais*, l. II, c. XII.
(2) Cf. Mont., *ibid.*

dicuntur de contrariis, conjunctis vel copulatis, adjunctis vel connexis propositionibus, regulisque quibus componendae sunt (1). Quae cuncta a logicis vulgata satis est indicare. Non magis referenda videntur quae scholarum more de argumentis reciprocis disputavit, quorum quaedam prava esse contendit de enthymematibus, quo verbo significat oratoriam argumenti formam abundantiorem et laetiorem quam quod hodie logici scriptores concipiunt, nec enumerandae *captiones* illae sive *captiosae* quaestiones quarum usus in scholis illius temporis frequens erat (2) : plurimas ait ipse inanes esse et quasdam *lepidas* magis *argutiolas* quam *proba argumenta* videri concludit : attamen nos docet quo pacto aequales ejus sophismata *resolvere* conarentur, inter quae praecipue megarica memorat, et quomodo Calv. Taurus ea exercitia non aspernaretur, quantum denique studium et cura illi sermonum generi quod controversias dicebant adhiberetur. Testis ergo est Gellius non parvi momenti, si vis cognoscere quo inclinaret eo vivo philosophia, et quam levibus saepe rebus dialectica studeret (3).

L. XVIII, c. I, 12.

L. I, c. IV. — VI, c. III. — XII, c. II. — XVII, c. XX.

L. XVIII, c. I, 12.

L. VII, c. XIII.

Perpauca tamen ad promovendam animi culturam tradidit et plerumque si non verbis re tamen Ciceronem imitari satis habet : quod apparet iis quae de *axiomatibus* vel *pronuntiatis*, de demonstratione et

L. XVI, c. VIII.

(1) Cf. *Logique de Port-Royal*, etc.

(2) Cf. Zeller, *Phil. des Grecs*, *pass.* — Brochard, *Les sceptiques grecs*, *pass.* et *supra*.

(3) *Ibid.*

lege qua effici debet, de inductione quam alio sensu
L. XVI, c. VIII. ac nos definit.

Ea magis digna sunt quae notemus quae de duabus geometriae partibus dixit, scilicet de optice et sonorum scientia, cum recentioribus experimentis convenientia : « Utraque harum spatiis et intervallis
L. XVI, c. XVIII. linearum et ratione numerorum constat. » Magis autem ludi quam disciplinae sunt quae ex libro Varro-
L. III, c. X. nis *de septenarii numeri vi et facultate* sumpsit : quod pythagoreis placitis paulum differt (1).

L. XIX, c. I, 15. Cum stoicis contra veritatem in assensu animi ponere videtur *qui voluntatis est et arbitrarius*, ab Academicis dissentiens (2); idque quod spectatae experientiae est et usu probatum, hortatur ut *ad dis-*
L. XV, c. XXX. *ciplinas litterarum non serius adeatur*, ne res male cedat.

Quaestiones naturales, ut jam diximus, prout erat omnia discendi cupidus, attigit Gellius, leviter quidem et temere : sed postquam mira quaedam e diversis scriptoribus sumpta retulit, ait ipsum taeduisse *scripturae nihil ad ornandum juvandumque usum*
L. IX, c. IV. *vitae pertinentis*.

Logicae nunc assignantur testimonii aestimatio et
L. V, c. XVIII. historiae leges : de iis pauca sunt apud Gellium, qui de historiae definitione ambigit, nec eam ab Annalibus satis plane discernit : auctore tamen Sempronio Asellione usus, quae vere sit historia significare

(1) Vide supra.

(2) Vide Brochard, *Les sceptiques grecs, pass.*

his verbis videtur : « Nobis non modo satis video quod factum esset id pronuntiare, sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare (1) ; » additque : narrare bellum *omissis consiliis quibus gestum est id fabulas pueris est narrare non historias scribere*. Sensit vero quae sit historiae vis et utilitas, *quae nos alacriores ad rem publicam defendendam* et *segniores ad rem perperam faciendam* efficere debet : sed longe abest ab elatis et magnificis dictis quae de ea re profert Cicero (2) cujus quidem in hoc loco non meminit.

L. V, c. XVIII, 8.
L. V, c. XVIII, 9.

Quae de testibus singularia quaesivit ad ethicam et judicis officia referemus.

3° *De Ethica vel morali philosophiae parte.*

Ethicam rem definit Gellius eam philosophiae partem quae *ad virtutum origines officiaque earum aut confinia aut contraria morborum vitiorumque fraudes animorumque labes ac pestilentias* spectat, et eam plurimi facit : nec tantum in exploratione et meditatione inutili verborum aut placitorum, sed etiam in eorum observantia sitam esse censet : ea mente vidimus ab illo laudatam Herodis Attici et Epicteti dissertationem (3).

L. I, c. II, 4.

(1) Cf. Cic., *De orat.*, II, 15.

(2) « Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis est » (*De orat.*, II, 9.)

(3) Vide supra.

Cum stoicis et Cicerone (1), cujus disciplina varios fontes habuit, consentiens, non aliud dicit esse *vere*
L. XII, c. v, 7. *et simpliciter bonum nisi honestum*, quod quisque voluntate (2) et *ratione decreti sui nixus* assequi
L. XII, c. v, 9. potest.

E quatuor virtutibus quas veteres philosophi admittebant praecipua et omnium capita, fortitudinem veram esse ait quam majores dixerunt *scientiam re-*
L. XII, c. v, 13. *rum tolerandarum et non tolerandarum;* additque a stoicorum contumacia abhorrens non *eam esse quae contra naturam*, *monstri vicem*, *nititur*, *ultraque modum ejus egreditur*. Epictetum multis in locis ejusque sententias probat, utpote qui laborem ac continentiam laudaverit.

Ad fortitudinem simul et prudentiam spectat quod
L. I, c. xxvi, 3. de ira sensit quem *morbum* (3) vocat : quo quidem verbo omnia delicta, ut stoici, designat : ideoque non tam poenae quam medicinae causa militibus ignavis *venam solvi et sanguinem* dimitti veteres romanos jussisse opinatur, quippe cum *postea ob pleraque alia idem factitatum sit, quasi minus sani viderentur om-*
L. X, c. viii. *nes qui delinquerent*. Haec magis ad prudentiam quae

(1) Teuffel, t. I, p. 90; *ibid.*, p. 256.

(2) Cic., *De off.*, I, 9; *Acad.*, II, 12; *De fin.*, III, 7; *Tusc.*, II, 23; II, 6.

(3) Cf. Mont., *Essais* : « Aristote dict que la cholere sert parfois d'armes à la vertu et à la vaillance. Cela est vraysemblable; toutesfois ceulx qui y contredisent respondent plaisamment que c'est un' arme de nouvel usage; car nous remuons les aultres armes, cette cy nous remue; nostre main ne la guide pas, c'est elle qui guide nostre main; elle nous tient, nous ne la tenons pas. »

de immodica lingua dixit, Tullii sententiam prope referens : « malim equidem indisertam prudentiam quam stultam loquacitatem (1). » L. I, c. xv, 6.

De temperantia saepe egit Gellius : censoriae severitatis exempla erga equites nimis pingues aut cavillatores quosdam, leges a Romanis de sumptu sanctas, orationem quam C. Gracchus, e Sardinia rediens, de parsimonia sua in concione habuit, verba Socratis quae citavimus de vivendi ratione, convicia quibus Demosthenes et Hortensius profligati sunt, praecepta T. Varronis de educandis liberis quibus impuberibus nimio somno ciboque interdicit, passim memorat. Antiquorum morum admirator nihil negligit quod ad eos pertinet et praecepta lepidis narratiunculis illustrat.

Justitiae imaginem qualis a Chrysippo depicta fuit cum descripsit, ejus expromit significationem quae omnes virtutes judicum officiaque in se continet : elatius quam solet dicit oportere judicem « esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem contraque improbos nocentesque immisericordem atque inexorabilem erectumque et arduum ac potentem, vi et majestate aequitatis veritatisque terrificum. » L. XIV, c. iv.

Peregrino duce et stoicis, *justi honestique studio* solum non poenae causa peccatum vitandum censet (2). Legem, nonnullis in locis, sed jurisconsulti L. X, c. xx. — XV, c. xxvii.

(1) Cic., *De orat.*, III, 35 : « Malim equidem indisertam prudentiam quam stultitiam loquacem. »

(2) Cf. Cic., *De Leg.*, I, 18.

magis quam philosophi more definit variasque ejus species distinguit. Frustra tamen apud eum sublimia verba requires quibus summam legem, *in natura insitam*, depinxit Cicero (1).

Ex voluntate et ratione (2) mores et officia pendere
L. VI, c. III. omnes consentiunt : at Gellius, sicut Cato in oratione pro Rhodiensibus habita, solam voluntatem quam non facta sequuntur non puniendam esse censere videtur : quod ad jus civile tantum spectat,
L. VI, c. III, 9. quippe cum dixerit poenitentiam sane voluntariis factis gigni, ac saepius fieri ut malum consilium poe-
L. IV, c. V. nam sui habeat et *consultori pessimum* fiat, ac pec-
L. XII, c. XI. cata quidem tempore detegi (3).

In hoc a stoicis dissentit quod inter animi mala
L. I, c. XVII, 6. gradus admittit (4) : « Vitia, ait, flagitiis leviora
L. XI, c. XI, 1. sunt; inter mendacium dicere et mentiri distat (5). » Addit alias differentias e P. Nigidio excerptas, quae omnes ad id contrahi possunt quod alterum voluntarium, alterum non voluntarium sit; alterius conscii, alterius non conscii simus.

Non omittit Gellius illam benevolentiam et carita-

(1) Cf. Cic., *De Leg.*, I, 6; *De Rep.*, III, 17; *De Leg.*, II, 5.

(2) Cic., *De Fin.*, III, 7; *Tusc.*, II, 7.

(3) Cf. Mont. : « La meschanceté fabrique des torments contre soy, comme la mouche guespe picque et offense aultruy, mais plus soy mesme, car elle y perd son aiguillon et sa force pour jamais » (*Essais*, l. II, c. V).

(4) Mont. : « Les vices sont touts pareils en ce qu'ils sont touts vices, et de cette façon l'entendent à l'adventure les stoiciens; mais encores qu'ils soyent egualement vices, ils ne sont pas vices eguaux » (l. II, c. II).

(5) Mont., l. I, ch. IX.

tem qua natura homines inter se conciliat, quam *erga omnes homines promiscuam* vocat, sed, grammatici more, improbe *humanitatem* dictam contendit, nec satis significat quam penitus sit nobis insita nec quid efficere possit. Ait tamen beneficentiam per se observandam esse et, auctoritate fretus Ciceronis (1), *nulla tacita ratione ad utilitates redundante*. Clementiam tamen et mansuetudinem pro utilitate, relata Catonis oratione, observandas censet, et credit ei qui imprudens aut aliqua vi compulsus peccavit veniam esse *petendam*, quo sane intelligendum etiam est obtinendam, delicatioreque sententia dissimilem pecuniae et gratiae debitionem esse pro certo habet.

L. XIII, c. xvi.

L. XVII, c. v, 10, 12.

L. VI, c. iii, 52.

L. XI, c. viii, 4.

Illi sunt animi sensus moresque erga universam hominum societatem habendi, « quod, ut ait Cicero, natura praescribit ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam quod is homo sit, consultum velit (2). » Nunc ad ea quae de privatis cujusque pro re et tempore officiis senserit Gellius transeundum.

Officiorum ordinem ex moribus populi romani hunc constare dicit : primum juxta parentes locum tenere pupillos, secundum clientes, tertium hospites, postea cognatos affinesque : Massurium autem Sabinum ait *antiquiorem locum hospiti quam clienti* tribuisse. Notandum est in eo ordine nullam de civium erga patriam ac patris erga liberos officiis mentionem

L. V, c. xiii, 2.

(1) Cic., *De Leg.*, I, 18; *De off.*, I, 7 et *pass.*; cf. Mont., l. II, c. viii.
(2) Cic., *De off.*, III, 6.

fieri, de quibus tamen passim locutus est (1) minus vero philosophi, ut jam diximus, quam jurisconsulti more, ut quidem ex auctoribus, quos habet, satis apparet.

Nihil de ipsa familiae constitutione apud Gellium legitur. Assentitur Ciceroni *prudentem esse patremfamilias et cautum* debere dicenti : attamen ei exprobrat quod parum honesto responso hoc praeceptum dedecoraverit (2). De matrefamilias et matrona grammatice et juridice disputat. Matrimonium, ut decet romanum, *salutis perpetuae* causa capessendum judicat, itaque recte fecit Metellus Numidicus si non oratorie, qui expositis et perpensis molestiis incommodisque matrimonii persuasit tamen *civitatem salvam esse sine matrimoniorum frequentia* non posse (3).

L. XII, c. xii.

L. XVIII, c. vi, 9.

L. I, c. vi, 26.

L. IV, c. iv.

Quod jus sponsaliorum ante civitatem universo Latio datam fuerit observatum et quomodo pecunia mulctaretur qui *sine justa causa* promissum non fecisset summatim et frigidius exponit.

De jure quoque officiisque viri et mulieris pauca passim refert quae jam vulgata relinquimus (4). No-

(1) Cic., *De off.*, I, 17 ; cf. Fenelo : « Il n'est pas permis de se conserver en ruinant sa famille, ni d'agrandir sa famille en perdant sa patrie, ni de chercher la gloire de sa patrie en violant les droits de l'humanité » (*Essai philos. sur le gouv.*, ch. II).

(2) « Prudentis et cauti patrisfamilias esse, quod emere velit, empturum esse negare propter competitores emptionis » (Gell., l. XII, c. xii).

(3) Cf. Cic. : « Cum sit hoc natura commune animantium ut habeant lubidinem procreandi, prima societas in conjugio est.. id autem est principium urbis et quasi seminarium reipublicae... quae propagatio et soboles origo est rerumpublicarum » (*De off.*, I, 16).

(4) Cf. Iwan de Gloeden, Hertz, *A. Gellii quae ad jus pertinent*, etc.

tat quo admodum Urbis conditae anno prima rei uxoriae actio fuerit, quo *Sp. Carvilius Ruga Romae de amicorum sententia divortium cum uxore fecit, quod sterilis esset* (1). Attamen satis habet ea indicare L. XVII, c. XXI, 44. nec judicium promit aut quaerit, ut quidam postea fecerunt, qua de causa aut ratione hoc jus constitutum fuerit, et qua mente eam rem Carvilii aequales acceperint (2). In ea enim parte narratorem et etiam fabulatorem agit Gellius et Xanthippes erga maritum L. I, c. XVI. Socratem intemperies ac contra amorem quo Artemisia Mausolum prosecuta est cum quadam delectatione describit. L. X, c. XVIII.

De parentum erga liberos officiis nihil dicit : at hoc solum de exheredandi jure, ex oratione Q. Metelli sumptum, qui deorum immortalium potestatem parentum potestati comparat liberos suos, si errare pergunt, exheredantium. Plura contra de liberorum L. I, c. VI. officiis, quod romanum decebat, inveniuntur : asserit in domesticis rebus filium vel magistratus dignitate ornatum patri, privato etiam homini, cedere, in publicis autem locis patris jura paululum *interquiescere* debere ; alias quaestionem inter philosophos L. II, c. II. agitatam examinat *an semper inque omnibus jussis patri parendum sit*, et tribus sententiis expositis, mediam quamdam probat sicut *optimam et tutissimam : in quibusdam parendum, quibusdam non obse-*

(1) Cf. Mont., *Essais*, l. II, c. XV.

(2) Cf. Fustel de Coulanges, *Cité antique*, 3e édit., p. 53. — Denis, *op. cit.*, t. II, p. 103.

quendum esse et eam conclusionem selectis exemplis
L. II, c. VII. confirmat.

Quod ad propinquos spectat fabula cassitae narrata censet eorum sicut et amicorum *levem plerumque et*
L. II, c. XIX, 17. *inanem fiduciam et in nobis tantum ipsis nitendum.*

His omnibus Gellius sui temporis philosophorum vestigia sequitur qui singula bene vivendi praecepta magis edebant quam ad unum doctrinae corpus redi-
L. XIII, c. III, 4. — V, c. XIII, c. XIX. gebant. Quod si tutorum erga pupillos officia quae parentum, ut supra dictum est, proxima sunt, non altius perspecta et exposita sunt, pro monumentis recte ea habenda sunt quae de *familiae* dixit *eman-*
L. XV, c. XXVII, 3. *cipatione* quam *sacrorum detestationem* vocat, et satis indicant, quod nostri aevi scriptores asseverant (1), gentis fundamentum fuisse religionem, qua sublata, si Tullio creditur, *societas generis humani et una excellentissima virtus justitia tollitur* (2). Ut ille Tib. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scaevolam, pontifices maximos, non Zenonem, aut Cleanthem, aut Chrysippum sequitur (3), sic Gellius jurisconsultorum auctoritate in primis nititur quae jamdudum accepta in diem crescebat (4). Quod ad clientes et
L. XX, c. I. hospites pertinet, tantum eos dicit summa fide a populo romano observatos semper fuisse; quod prorsus asserere, romani civis magis quam historici dici potest.

(1) V. Fustel de Coulanges, *Cité antique*, p. 31, 38.
(2) Cic., *De nat. deor.*, I, 2.
(3) Cic., *ibid.*, III, 2.
(4) Teuffel, t. III, p. 1-4.

De servis, quos familia et domus quoque complectebatur, antiqua jura et usus potius repetit quam eorum patrocinium arripit : quamvis *atrociores injurias* servis illatas jure vindicari dicat, et ad misericordiam pronus fuisse videatur, apud eum desiderantur illae generosae et splendidae sententiae quae post Ciceronem et Senecam vulgatae per stoicos et etiam cynicos diffundi non desierunt. L. XX, c. I.

Hic forsan decet referre quae de amicitia et amicis, quibus sua sedes in domo familiaque est, Gellius senserit. Latius narrat Chilonem Lacedaemonium, praestabilem sapientia virum, cum jam moriturus esset et, advocatis amicis, totam vitam memoria rependeret, nullius rei commissae aegritudine se teneri fessum esse nisi quod, in causa capitali quadam inter judicis officia et amicitiae studium anceps, tacitus damnativam sententiam tulisset cum judicii sociis ut reum absolverent persuaderet, sic existimans se una judicis et amici officia observare : sed sub ultimam vitae metam haec agendi ratio eum angebat. Alii philosophi inter quos fuerunt, ut supra diximus, Theophrastus et Cicero, hanc quaestionem disputaverunt quousque pro amico contra legem contraque jus progredi cuilibet licitum sit, Tullius quidem levius : ambigere videtur Gellius, existimare tamen nihil contra jus etiam pro amico faciendum, hoc relato Periclis (1), *bonis omnibus disciplinis ornati*, responso qui amico roganti ut pro ejus causa falsum L. I, c. III.

(1) Cf. Mercklin, *op. l.*, p. 654.

dejeraret ait *oportere omnia amicis condonare exceptis diis.* L. I, c. III.

Amicitiam enim credit per se nec ulla spe utilitatis *neque pretii mercedisque causa* colendam : in quo cum Cicerone consentit, cujus verba ipsa refert (1). L. XVII, c. V.

De civitatis constitutione et civium erga patriam officiis nihil fere locutus est Gellius, ac magis jus civile quam rem moralem tractat. Majestatem vero populi Romani concelebrat et patriae amorem magnifice significat ea narratione qua M. Cato Q. Caedicium tribunum militum cum Leonida comparat, admiratus hoc nobile Caedicii consuli dictum : « Ego hanc tibi et reipublicae animam do. » Haec addit Gellius simplicitate simul et dignitate plena : « Consul tribuno gratias laudesque agit. Tribunus et quadringenti ad moriendum proficiscuntur... Quadringenti omnes cum uno, perfossi gladiis aut missilibus operti, cadunt. » Plura tamen, fateor, de patria apud eum invenire vellem « *quae omnes omnium*, ut ait Cicero, *caritates una complexa est* (2). » L. III, c. VI.

Relictis, ut at historiam et jus civile potius pertinentibus, quae de captione virginis vestalis dixit, quae de caerimoniis et sacerdotibus populi romani, de senatus principibus et censoria potestate, in quibus antiquorum morum recordatio viget et studium, L. I, c. XII. — VII, c. VII.

(1) Cic., *Laelius*, c. XVII; cf. *De Leg.*, I, 18 : « Ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore ut dicitur? qui etiam deserendus et abjiciendus est, desperatis emolumentis et fructibus : quo quid potest dici immanius? »

(2) Cic., *De off.*, I, 17.

pauca de judiciis et judicum officiis quorum fuit particeps exponemus.

Refert quo modo Sextus Caecilius judicem qui jusjurandum pecunia venderet capitalis poenae non minus quam manifestum furem et nocturnum grassatorem dignum esse dixerit, quoque modo Cn. Dolabella rem difficilem et ambiguam ad Areopagitas rejecerit et Areopagitae, *cognita causa*, accusatorem et mulierem quae accusabatur *centesimo anno* adesse jusserint (1) : quorum tamen si prius Dolabellae prudentiam manifestam facit et miratione dignam, posterius magis astutia et faciliore effugio Areopagitas accusat. Narrat quoque qua religione ipse, inter judices admissus, multis *jurisperitorum commentariis* frustra lectis, in re ancipiti Favorinum consuluerit ac tandem sibi *non liquere* juraverit (2). Tanta illius erat jurisjurandi reverentia, quam, si ei credimus, semper Romani observaverunt: quod ait *moribus legibusque multis ostendi :* pro exemplo refert qua comtemptione vulgus et quibus infamiae notis censores duo captivos affecerint qui ab Hannibale Romam missi non ad eum, ut juraverant, rediere, additque, Cornelio Nepote auctore (3), eos *usque adeo intestabiles invisosque fuisse ut taedium vitae ceperint necemque sibi consciverint.*

L. XX, c. I.

L. XX, c. I, 8.

L. XII, c. VII.

L. VI, c. XXIII, 1.

L. VI, c. XVIII, 8.

Ut jusjurandum, ita omnia nobis mandata stricte observanda censet nec nostri esse considerare num

L. I, c. XIII.

(1) Cf. Mont., *Essais*, l. III, c. XI.
(2) Cic., *De off.*, I, 9.
(3) Cf. Ruske, p. 33. — Mercklin, 668 et seq.

alia faciendo res melius evenire possit. Ad haec adde ea quae de honoribus magistratui debitis jam diximus et sane conjicere poteris Gellium veterum morum, quod quidem in illius tempore frequenter fiebat, admiratorem fuisse et cum Cicerone consentire civibus praescribente *non solum ut obtemperent obediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant diligantque* (1).

In judiciis publicis non secus ac in historia et litteris plurimum valent testimonia : nonnunquam igitur de iis locutus est Gellius : ostendit qua ratione contraria testimonia in actione perpendere deceat, et hanc prope fert regulam ut inter duos testes *meliori*
L. XIV, c. II, 21. *viro* credatur; approbatque duodecim tabularum le-
L. XX, c. I. gem qua qui falsum testimonium dixisset a Tarpeio saxo dejiciebatur, eamque adhuc vigere vellet.

In hoc claudicat quod ad jus gentium spectat, de quo multa leniter dixit Cicero et apud aequales Gellii philosophos aliquando disputabatur (2) : pauciora
L. XVI, c. IV, 1. apud eum leguntur de verbis quibus fetialis bellum hostibus indicebat, excerpta e Cincii libri nec exa-
L. XVI, c. IV, 5. minata (3), de militum in bello obedientia furtisque et inventis, induciarumque observantia quae a vera pace differunt, cujusque *verbi originem* grammatice
L. I. c. XXV. quaerit. — Utrum ea quae de gentium jure stoici ad communem hominum societatem inclinantes sentiebant parvi fecerit an quasi vulgatissima neglexerit

(1) Cic., *De Leg.*, III, 1, 2, 5; cf. *De off.*, I, 16.
(2) Cf. Denis, *op. laud.*, t. II, p. 171, 175.
(3) Cf. Ruske, *op. cit.*, p. 33.

incertum est : ea tamen indole qua erat (1), conjicere licet eum, quamvis amore patriae flagraret, a benigniore inter gentes commercio non abhorruisse.

4° *De metaphysicis.*

Eam philosophiae partem, dictam de metaphysicis, quae sunt de omnium rerum natura causisque ac principiis, de vita animoque et deo, paululum attigit Gellius, qui quaerere non cur et quomodo fieri queat quidque sed tantum fiat necne solitus est. Ceterum jampridem a sublimioribus Platonis Aristotelisque cogitationibus philosophia vel apud graecos diverterat et ad ea sola quae beatam vitam efficere possint se applicaverat : nihil fere aliud Romani sibi proposuerunt (2).

De diis tamen haec notanda : eos plurimum posse credit et cum parentibus comparat : si eos nobis propitios esse velimus, *malis rationibus finem faciamus* L. I, c. vi, 8.
nec nobis ipsi simus *adversarii :* in quo Epicteti disciplinam cum vulgi opinionibus miscere videtur. Res humanas *providentia gubernari* ac mundum *dei et hominum causa* institutum esse censet, ideoque L. VI, c. I, 1.
Tauri et Hieroclis dicta reponit. Quantum vero distat L. IX, c. v, 8.
sicca ejus oratio, qua alioquin difficile est decernere quo sensu providentiam habeat, a nobilibus argumentis et laudibus quae passim Cicero *de deorum*

(1) Teuffel, t. III, p. 44.
(2) Teuffel, t. I, p. 89.

immortalium vi, natura, ratione, potestate, mente, numine (1) explicuit! in quibus tamen alia ut pontifex et homo politicus dicebat, alia ut philosophus sentiebat (2).

Hoc maxime inter deos atque homines differre censet Gellius quod *illi res omnes postfuturas prae-*
L. XIV, c. I, 7. *noscunt* : dii enim soli *non longaevi sed immortales*
L. II, c. XVI, 10. *appellantur* : quod sane non minus ad dicendi rationem quam ad altiorem philosophiam spectat. Refert quoque veterum romanorum de divinis rebus tradita et edicta quaedam futilia, in quibus superstitiosa fides eminere videtur, ac nimium inconsultumque publicae religionis studium, parum Gellii temporibus congruens.

L. I, c. III. Laudatis eis, paucis tamen, quae de libero arbitrio dixit, fatebimur Gellium de assensione animi, quae plurimum inter illius temporis philosophos agitabatur (3), nihil penitus disputavisse nec altiores quaestiones expedivisse.

(1) Cic., *De Leg.*, I, 7; *De nat. deor.*, I, 2; II, 53, 54, etc.
(2) Cf. Teuffel, t. III, p. 315-330. — Mommsen. t. VII, p. 358-364.
(3) Cf. Brochard, *op. laud.*

CONCLUSIO.

Nunc expositionem hanc concludere decet, et, si possumus, Gellii personam expromere.

Quo fuerit ingenio et moribus Noctibus atticis conjicere licet. Curiosus fuisse videtur et amator philosophiae sicut et omnium fere rerum doctrinarumque quae tempore quo vixit disputabantur aut agebantur. Ait enim se modo *sermones* doctorum virorum *curiosius captare*, modo in bibliotheca sedentem quidquid L. XIX, c. XIII, 1.
in manus incidisset legere; nunc refert quaestiones L. XI, c. XVII, 1.
quas, cum spatiaretur aut vectaretur, *ab arbitriis negotiisque* otiosus, *solus ambulans* perpendebat; L. XI, c. III, 1.
nunc quae in *reda* conquireret *ne quid aliarum ineptiarum vacantem stupentemque animum occuparet*. L. X, c. XXV, 1.
Discendi studio et cupidine hic celebrem grammaticum interrogat; L. VI, c. XVII, 1.
illic ad rerum vocabula *adjicit animum*, L. XI, c. XVI, 1.
aut verborum sensum a suo Favorino quaerit L. I, c. XXI.
aut Aristotelis libros praecerpit. L. II, c. XXX, 11.

Quod si res quasdam iis celebrandas relinquit *quibus abunde et ingenii et otii est*, satis habens dicere L. VII, c. VIII, 4.
quae certa credit, nec dignatur iis respondere qui vanis interpretationibus operam dant, ac illum tae- L. VI, c. II, 2.

det *scripturae nihil ad ornandum juvandumque usum*
L. IX, c. iv, 12. *vitae pertinentis* aut quae sunt *deridiculae vanitatis*,
L. X, c. xii, 4. quas *invitus meminit*, notat tamen quaedam mirabi-
— X, c. xii, 1. L. IX, c. iv, 5. lia e Graecis libris *cursim* excerpta vel in Plinii Se-
cundi libro lecta : narrat etiam pressis verbis quo-
modo Patavi sacerdos quidam Cornelius nomine
omnes vices Pharsaliae pugnae conspicere se dixerit
L. XV, c. xviii. et Caesarem victorem esse exclamaverit. Quod indi-
care posset ei fuisse temerariam quamdam curiosita-
tem (1) et credulitatem cujus et alia exempla pro-
L. X, c. x, 2. mere videtur. Illa tamen sicut *memorari digna*
L. XV, c. xviii, 2. tantum refert nec quid ipse sentiat rectene an perpe-
ram dicta sint satis declarat. Conquirens semper quid-
cumque animum sinon instruere saltem delectare
possit, fabulas ipsas excerpit quae ei forte occurrunt
L. XVI, c. xi, 3. alia et seria persequenti : illae vero fabulae originem
L. XIII, c. vii, 6. ducunt e studio quo Gellius naturales (2) quaestio-
nes saepius tamen quam felicius exquirebat et ple-
rumque ideo quod communi sensui repugnabant
notatae sunt, et nulla etiam admodum correctione
relatae : quietis impatiens, si veritas cujus ante om-
nia cupidus fuisse videtur, non ei suppetit, res
mirabiles et fictas apprehendit. Cum *in disciplinas*
L. XVI, c. viii, 1. *dialecticas induci atque imbui* velit, graecos adit scrip-
tores utiliores quam sunt romani, *medicinae libros*
L. XVIII, c. x, 8. versat, quippe cum liberi cujuslibet hominis eam
notitiam existimet. In hoc parum sibi constat quod

(1) Cf. Teuffel, t. III, p. 44.
(2) *Ibid.*, p. 42.

captiosis interrogationibus non respondendum esse L. XVI, c. II.
credit et idem cavillationes et ambiguas litterarum L. XI, c. IX, 15. — XI, c. X, 6.
mutationes citat : quo apparet ejus gravitatem quadam festivitate temperatam fuisse.

Ipse nobis meminit qua laboris ratione uteretur.
Quemcumque veterum librum legisset, animo recen- L. XVII, c. II, 1.
sere solebat quidquid laude aut mendo dignum esset. Ne eum omnino fallat memoria, quamprimum aliquid audivit, tabulis consignare properat sinon propriis verbis, integra tamen sententia, diligenterque,
ut *temporum erroribus* caveret, quorum promit L. XVII, c. XXII.
exemplum, tempora quo vixerunt illustres viri *digessit*.

Ne credas eum, ut quidam contenderunt, judicii et acuminis expertem fuisse (1), qui eam virtutem
in Antonio Juliano rhetore, cujus fuit auditor (2), L. I, c. IV.
magnopere laudet. Quae solvere non potest, ea in L. VII, c. XIV, 9.
medio relinquit, explicationemque, quae ei videtur non illepide ficta nimis tamen elaborata et commenticia, amplius quaerendam esse censet : ut ea, quae vera esse credit, planissime exprimit, ita, quae
dubia sunt, quasi fama recepta enuntiat : quae tan- L. VII, c. XVII.
dem fideliter meminit, quo modo dicta sunt fideli-
ter etiam perscribit (3). Veracitatem vel intempesti- L. XX, c. VI, 5.
vam et asperam, ut magister ejus Favorinus, excusat L. XVIII, c. VII, 4.
ac probat, creditque *turpius esse exigue atque frigide laudari quam insectanter et graviter vituperari.* L. XIX, c. III, 1 sq.

(1) Cf. Teuffel, *ibid.* — Friedlaender, *op. cit.*, p. 146.
(2) Cf. Teuffel, t. III, p. 26.
(3) Cf. Mercklin, *op. cit.*, *passim.*

In judiciis tamen lenis et modestus, nunc *cum*
L. XVII, c. vi, 4. *pace et venia* aliorum, qui contrarias opiniones profitentur, se loqui dicit, nunc sententiam suam pronuntiare supersedet et cuique, prout verum ei esse
L. XVII, c. vi, 11. videbitur, eligendi potestatem permittit. Quod ad rem moralem attinet, liquidam orationem et definita
L. I, c. iii. praecepta a philosophis postulat et vim rerum cum
L. XI, c. xiii, 10. virtute verborum mixtam requirit.

Æqua mente omnibus laudem et vituperationem pro cujusque merito dispertit nec eum a sensu suo amicitia gratiaque avertit (1). Sic in praefatione inter ambitiosos librorum titulos quos non sine cavil-
Praef., 8. latione dinumerat παντοδαπὴν ἱστορίαν Favorini sui interponere non dubitat (2). Quanquam P. Nigidium Figulum plurimi facit, quem juxta Varronem
L. IV, c. ix, 1. *doctissimum praedicat*, significationem tamen impro-
L. IV, c. ix, 12 sq. bat quam ille cuidam inclinamento verborum dedit. Plinium quoque, cujus e fontibus, ut demonstratum est (3), plurima sumpsit supra indicata, nonnullis locis reprehendit. Diversa de Plinio pro rerum diversitate judicia edit : hic cum parce laudans *existima-*
L. III, c. xvi, 23. *tum esse suae aetatis doctissimum* dicit, illic asserit
L. X, c. xii, 6. indigna esse Democrito portenta quae Plinius ex eo
L. XII, c. ii, 11. sumpsisse dixit. Seneca, ut vidimus, parvam apud eum obtinet gratiam, dum contra Sallustium benevolentia prosequitur et causam ejus agit adversus
L. IV, c. v, 6. detrectatores. Ciceronem in primis oratorem magni-

(1) Cf. Teuffel, *op. cit.*, t. III, p. 44.
(2) Mercklin, *op. cit.*, p. 673.
(3) *Id.*, *ibid.* — Ruske, *op. cit.*, p. 142.

fice laudat, et acriter incusat scriptores qui dicere *ausi* sunt eum *parum integre* et *improprie atque inconsiderate locutum*. Gellius a solita sua moderatione in hoc loco discedit et vim oratoriam assequitur. Qua eloquentia partem quamdam actionis in Verrem commentatur! « Animum hercle meum, inquit, cum illa M. Ciceronis lego, imago quaedam et sonus verberum et vocum et ejulationum circumplectitur. » Quod tamen non prohibet quin sincerus judex Ciceronem philosophum exprobret quod de amicitiae officiis legem certam non dederit. Sulpicium Apollinarem quem *in primis sectatus est*, cujusque de litterarum disciplinis multa curiosius captavisse profitetur, nulla cum exceptione laudat sicut et, ut supra vidimus, Calvisium Taurum. Tanta gratia magistros suos et memori corde prosequitur (1)!

L. XVII, c. I, 1.

L. X, c. III, 7, 8.

L. I, c. III.

L. VII, c. XII *et pass.*

L. VII, c. X.

Non eodem more agit erga Plutarchum quem quidem libris tantum cognovit et saepe auctorem adhibuit, adeoque aequitatem in judicando affectat ut, quamvis Epicuri disciplinam non probet ac potius redarguat, causam ejus contra Plutarchi inanes accusationes defendat. Ab insita sua moderatione aliquando deflectens unum nulla reprehensionis lenitate Protagoram severius incusat, insincerum, ut ait, philosophum et acerrimum sophistarum : quae apud veteres maxima exprobratio fuisse videtur, immerito quidem.

L. V, c. IX, 8. — II, c. VIII.

L. V, c. III, 7.

Gellius igitur, quatenus criticus, non omni vitio ca-

(1) Teuffel, t. III, p. 44.

ret et interdum argutiis ipse, cum praecipue de grammaticis rebus agitur, ac subtiliore judicio utitur. Attamen ille quem quidam in nostra aetate vana eruditione insimulaverunt et insubidum *paedagogum* vocaverunt (1), *semidoctum vulgus* odit et arcet. [L. I, c. VII, 7.] Copia vocabulorum ad hoc hominum genus designandum et arguendum abundat. [L. I, c. XV, 19. — V, c. XXI, 1, 9. L. VII, c. XVII, 11. — XVI, c. XII, 6. L. XIII, c. XXX, 3. — V, c. XIV, 2.] Quid enim verius illa hominum descriptione « stulta et immodica blaterantium, quorum lingua tam prodiga infrenisque est ut fluat semper et aestuet colluvione verborum teterrima? » [L. I, c. XV, 17.] Quid festivius narratione qua *jactator quispiam et venditator Sallustianae lectionis*, se illudi ratus, cum urgeretur ut de verborum differentia vel similitudine dissereret, *negotium sibi esse causatur* et digreditur? [L. XVIII, c. IV, 1, 8, 9.] quid lepidius illa scena ubi grammaticus quidam, Frontone instanter interrogante, *sudans multum ac rubens*, fallaci responso effugit? [L. XIX, c. X, 14.] Hic *rhetoricum quemdam sophistam* promit qui perite dicere creditur et ipsa *rerum vera vocabula* ignorat : [L. XVII, c. V, 3.] [L. XVII, c. V, 9.] illic *jactantiam in litteris* Ælii Melissi qui tamen, quod ait, *fuit Romae summi loci inter grammaticos*, irridet : [L. XVIII, c. VI, 1.] alias gravitatem compositam et *ardua supercilia* grammatici cujusdam cum lenitate Favorini comparat; [L. IV, c. I, 1.] alias asserit istos esse *nequam et nihili* qui, quamvis ignari, emendare scriptores audent aut *pulverem ob oculos adspergunt*. [L. II, c. XIV, 3. — V, XXII.] Multis profecto exemplis Gellius ostendit vanitatem et ignorantiam cum arrogantia, insolentiam cum inscitia misceri solitam esse, et [L. XVI, c. V, 5.]

(1) Vide supra. — Teuffel, Friedlaender.

ineptissimum quemque esse gloriosum. Praesertim adolescentium aegre fert arrogantiam et propensionem ad disputandum inconsiderate et *elatius quam aetatem decet :* tantum eos abhorret qui immerito docti dicuntur, ut ne epistola quidem cum iis contendere velit. Haec quoque acutissime notavit, eos qui, *tumultuariis et inconditis* studiis freti, critici officio fungi cupiunt, ludo et risui aliis esse, itidem *ineptos* et *frivolos* fieri qui litteras didicerunt, *si forte sunt garruli natura et subargutuli.* Fatetur tamen, quod constat, suae aetatis hominibus hunc morem fere communem fuisse ut eruditorum speciem prae se ferrent et antiquitatis scientiam, nec se ipse excipit, quippe cum dicat : « Plerique nostrum quae remotiora verba invenimus, dicere ea properamus, non discere. » Crimini ergo putidae eruditionis ipse obviam ivit nec immerito asserere potuit ignorantiam solito insolentem, scientiam vero esse *affabilem.*

L.XIII,c.XXXI,1. L. IX, c. XV, 5 sq. L. X, c. I, 5. L. VII, c. XVI, 1. L. XV, c. XXX, 1. L. XVI, c. IX, 2. L. XVIII, c. V, 12.

Virtutum certe quibus praeditus fuit Gellius moderationem in primis, ut jam diximus, coluisse videtur, non tamen adeo ut veram sui opinionem amitteret aut bona malaque apud alios nullo discrimine pateretur (1).

Quocirca Chilonis verba de amore et odio intra modum coercendo laudat *quasi exploratae utilitatis :* ita prorsus extrema consilia vitantur, sed una pulchra facinora et devotiones, quae laudavit ipse Gellius, abolentur. Non solum in consilio et judicio, sed

L. I, c. III, 10.

(1) Cf. Teuffel, *op. cit.*, p. 43.

etiam in habitu ac vestitu modestiam suadet, ac ve-
L. I, c. v. nustiorem corporis cultum Demosthenis et Hortensii, ut supra dictum est, cum *subagresti et infestivo* L. Torquati *ingenio* confert, significans medium quid se probare et elegantiam ipsam quasi minus offensionis habentem praeferre. Hortatur etiam ut in hominum commercio caveamus conviciis et maledictis cum in-
L. VII, c. xi, 1. quinatissimo quoque decertare, ne tantisper ejus similes et compares fiamus, dum comparia et similia dicimus atque audimus: quo praecepto simul demonstrat quam perniciosa sint exemplum et consuetudo. Eo modestiae studio incitus narrat quam comi-
L. XIII, c. iv. ter Alexandri superbiam qui se Jovis filium esse praedicabat Olympias mater reprehenderit, Varronem secutus, cujus testimonium bona fide accipit. Illam praecipue superbiam modestiae fuco latentem et submissiora quam sinceriora verba, quibus in praefatione suorum librorum quidam scriptores, ut sibi lectorem concilient, utuntur, lepido Catonis exemplo
L. XI, c. viii. irridet. Sincerus tamen ipse videtur cum, sermone quodam Favorini, cujus admiratione et amore, in hoc quidem non mediocris, flagrabat, jejune, *quantum*
L. XV, c. vi, 1. *meminisse potuit*, relato, suam *tenuitatem* confitetur, et alias cum M. Tullii errorem, *quem possit cognoscere non aliquis eruditorum*, notat, aut *perfectissime et*
L. XI, c. xvi, 9. *planissime* a Graecis dicta Platonisque verba in lati-
— X, c. xxiii. nam linguam vertere se non valuisse pronuntiat, aut
L. VI, c. iii, 55. postremo cum lectores precatur ut *epistolam Tironis ad Axium* requirant et legant quo aequius de suis ipsius verbis judicium ferant. Sic praecipit ut nihil

quis tentet quod non facere valeat et Caecilium putat *non sequi debuisse quod assequi nequiret.* L. II, c. XXIII, 22.

Interdum tamen irritatiorem, aetate quidem pro excusatione adhibita, et verbis asperioribus utentem se praebet; nunc *grammaticum quempiam primae in docendo celebritatis* lacessit ironia et facta finitione ludit, nunc disputatores *clamantes compugnantesque* fastidiose relinquit : attamen plurimum colit moderationem eamque laudare solet. Itaque assentiri nequeo iis qui dixerunt eum ad nimiam et promiscuam admirationem et simul ad injusta odia pronum fuisse ac jactantiorem et molestiorem eruditionem ei objecerunt (1). L. XV, c. IX, 7, 10. L. VI, c. XVII, *pass.* L. XIV, c. V.

Praeterea non fuit Gellio eadem imaginandi vis quam multis ejus aequalibus, inter quos fuerunt Apuleius et Lucianus quibuscum fortuito consentit, nec apud eum uberiorem illius facundiam aut hujus acerbitatem invenies : cum utrique eorum parva fides est habenda, quod res non aequo animo modo detrectent, modo amplificent, Gellius credulus, ut aiunt, et mente simplex, non ficta sed vera, vel quae saltem vera credit esse, narrat. Ejus igitur testimonia, quanquam ex alienis fontibus aliquando sumpta sunt, non parvi admodum ponderis esse videntur. Tanta enim sinceritate usus est ut aliter ea quae ex memoria exponit ac quae ex libris excerpta ad verbum refert et ea quibus ipse interfuit plerumque significaverit (2).

(1) Cf. Teuffel, *loc. cit.*
(2) Cf. Mercklin, *op. cit.*

Nullam alterius opinionem enuntiat cujus non indicet auctorem : cetera quemadmodum vidit legitve aut meminit integre, quoad saltem potest, promit. Jejunus quidem, quod ipse fatetur, videri potest et inelaboratus, sed ne quid ultro mutet aut corrumpat sedulo cavet. Illi nempe fingendi et ornandi copia deest, at non discendi et investigandi.

Memoria vero fuit ejus prompta et tenax, cujus quidem facilitatem assiduo labore ac lectionibus excolebat et illa nobili consuetudine notandi fere cotidie et perscribendi quae noverat, qua tamen, ut aiunt inter alios Quintilianus (1) et Montanus (2), non te uti decet nisi ordine et modo adhibito. Augebat etiam vim et copiam memoriae frequentissima scriptorum comparatio ac rerum et sententiarum conjunctio quae natura consequi solet ideoque in nostra aetate sicut fons et principium cogitandi duntaxat a multis philosophis recipitur. Nullam tamen exercendae memoriae regulam apud Gellium, qui de ea saepius agit, reperire possis : naturam sequitur nec quaerit qua ratione sensus in animo quasi reconditi reviviscant. In ea parte inferior videtur non tantum Platoni et Aristoteli qui primi leges indicare quibus id fiat tentaverunt, sed etiam Stoicis Epicureisque qui eas non minimi momenti, quoad intellectum juvant, habuerunt (3).

Epicureos quidem et stoicos, qui Gellii fuerunt

(1) *Inst. or.*, X, 6.
(2) « Se faire une memoire de papier. »
(3) Janet et Sénilles, *Hist. de la phil.*, p. 197.

aequales, fatendum est, rei morali in primis intentos, hanc quaestionem jam tum negligere coepisse, nec requisivisse quibusmodis inter se connectantur perceptiones propriisque differentiis distinxisse, nec ad unam superiorem legem ac latiorem reduxisse. Gellius ergo, quod ad hanc rem attinet non secus ac alias, tempus suum fideliter exprimit (1).

Generosis affectibus natura ornatus, grato animo praeceptores et amicos prosequitur, laudibus eum extollit quicumque patriam dilexit, at contra malos cives exsecratur; falsos philosophos improbat sed miseratione magis quam acerbis vituperationibus, ut fecit Lucianus, dignatur. Ut eos miratur qui facile dolorem patiuntur aut saltem ei obluctari valent, ita spernit qui voluptatibus ac praesertim libidinibus se dedunt : quantum ab immani cynicorum ingenio abhorret, tantum Aristippeorum facilitas eum taedet. Quidquid virtutis amorem excutere possit sedulo notat et explicat. Quid valeat amicitia non tantum exemplis ex historia sumptis sed sua etiam vita demonstrat : quid fortitudo et animi magnitudo, veterum Graecorum Romanorumque verbis et factis; quid temperantia, Socratis moribus et consuetudine; quid justitia, laudibus cuicumque legum observatori tributis et illa etiam anxietate qua ipse in ancipiti judicio afflictus fuit ; quid prudentia, nobili cassitae fabula.

Praecepta nempe bene vivendi non professoria ra-

(1) Teuffel, t. III, p. 44.

tione promit, sed nostram excit meditationem.

Partem igitur philosophiae moralem maxime coluit Gellius, cujus supra placita memoravimus : quod ad eam quae est de animi scientia, quam hodie *psychologiam* vocant, de quaestionibus eo pertinentibus strictim dixit, quod tamen nos sinit conjicere qualia in illius aetate agitarentur. Indagatione naturae rerum, causarumque et principiorum relicta, tunc peculiariter disputabatur quid sint et valeant intellectus et voluntas, quibus facultatibus et quomodo exercendis homo sit praeditus. Magis auctoritate aliorum fretus quam sua ipsius meditatione, nonnulla de animi affectionibus, de memoria, de consuetudinis vi, de illa re quam cogitationum per continentiam conjunctionem vocamus, de corporis animique affinitate tradidit, quae etiamnunc lectorem delectare possunt.

In ea parte quae ad dialecticam et logicam spectat, et ad rem politicam, plura exempla et monumenta quam altiora praecepta dedit, stoicis et academicis nixus. Hoc tamen memoria dignum videtur eum in humanis rebus progressum et perfectionem esse credidisse : quae fides, quanquam multis calamitatibus et vitiis labefieri poterat, generosas mentes consolabatur et perseveravit dum nostris temporibus per continuos gradus, reclamantibus quidem morosis quibusdam , in constantem doctrinam verteretur.

Meram certe philosophiae disciplinam non professus est quamvis eam, quod in multis Noctium locis apparet, plurimi fecerit. Inquieta curiositate incitus,

varias philosophorum sectas adit, non, ut aequalis ejus Lucianus, quo faciliorem ludibrii materiam obtineat, sed quo fiat ipse doctior et sapientior et discendi cupidini rectius obtemperet. Inde fit ut non sit facile dictu ad quam potius inclinaverit ille nullius magistri sententiis addictus, eo tempore quo diversissimae disciplinae Romam cum e Graecia tum e remotioribus Orientis regionibus confluebant. Gellii tamen libri tibi prodesse poterunt si cognoscere velis quae circa ejus tempora investigari et disputare philosophi soliti sint, quae vitae et hominum mores ac partes studiorum praecipuae fuerint.

Noctibus Atticis nullam tum doctrinam puram et integram permansisse, quamcunque contra, aliena mutuatione, cum cynica stoicam, cum epicurea et pyrrhonia academicam commixtam fuisse videre licet. Haec tamen primum locum Romae obtinebat ubi quasi altioribus cogitationibus fessae mentes pro certis probabilia requirebant, ubi jampridem ut gentium ita opinionum quaedam colluvies fieri coeperat. Inde factum erat ut philosophia quae ante Socratem universi mundi originem et principia deprehendere conata erat ac post eum humanam naturam pro praestantissima inquirendi parte habuerat, dum Alexandrini doctores supremo nisu divina attingere auderent, dialecticae aliquando subtiliori studeret; quae eo magis viguit quo plures sententiarum et scholarum controversiae fuerunt.

Eam primum didicerat Gellius nec unquam neglexit, quippe cum eam, non omisso tamen periculo

cui nimium ejus studium nos objicere potest, magnificis ac fere poeticis verbis laudet. Diversissimos autem magistros philosophiae secutus, quam mente longissime praeparata nec, ut ait Taurus, *pedibus illotis* adeundam existimat, e Favorini familiaritate, quem ubique maximis laudibus cumulat, academicus potissimum Gellius evasisse videri potest : sin autem vere philosophum eum fuisse contendunt, attamen semper egregium philosophiae amatorem se praebet, cujus studium merito dicitur gratuitum, et quam *bona fide* illa coluit qua Noctes Atticas scripsit.

INDEX RERUM

Vidi ac perlegi

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, kal. aug. ann. MDCCCXCI, Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

TOLOSAE. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.





